

VITAE ITALORUM

DOCTRINA EXCELLENTIUM

QUI SAECULIS XVII. ET XVIII. FLORUERUNT

VOLUMEN XVIII.

AUCTORE

ANGELO FABRONIO

ACADEMIAE PISANAE CURATORE



PISIS MDCCXCIX.

APUD PETRUM JACOMELLIUM

Superioribus Annuentibus.

JOSEPHO
ARCHIDUCI AUSTRIAE
PANNONIAE PALATINO
&c.

ANGELUS FABRONIUS

Vidimus, dum puer in Etruria versabaris, naturae vim in Te animi corporisque dotibus ornando, quam quidem ad spem summam, columenque et fastigium maximarum rerum Te excitaturum minime dubitabamus. Est, quod glorieris, CELSISSIME PRINCEPS REGIE, quae vel ab ineunte ae-

tate Reipublicae polliceri visus es, Te exitu praestasse, quodque omnis a Te contentio suscepta sit, ut bellicosissima natio, cui praees, firmissimum in Tua virtute praesidium inveniat, gratulationem gaudiumque nostrum Tibi declarandum esse putavimus. Praeclare a Cicerone dictum arbitramur, omnium animos immortales esse, sed fortium bonorumque divinos. Bonitatis quidem exempla plura in hoc, quod Tibi lubens inscribo, volumine reperies, sed quo grandior, et quodammodo excelsior sim in fortitudine etiam laudanda, per Te sane praestabitur.

VITAE
ITALORUM
DOCTRINA EXCELLENTIUM
QUI SAECULIS XVII. ET XVIII. FLORUERUNT

ANGELUS FABRONIUS

STEPHANO BORGIAE

S. R. E. CARDINALI AMPLISSIMO

S. P. D.

Neque invidia, neque excusatione eos dignos puto; qui gloriari videntur se nihil in vita vidisse, nec quidquam tolerasse, quod doloris sensum in ipsis excitare potuerit. Ego quidem nunquam potero recordari tristissimorum, in quae incidimus, temporum, et actionum, quae saeculum hoc nostrum turparunt, quin moerore obruar, et lacrymarum vim profundam. Si esset levamen ali-

terram a caelo sejunxissent, cumque omnis illius oratio in virtute laudanda, et in hominibus omnibus ad virtutis studium cohortandis consumeretur, vel intolerandae superbiae, vel summae dementiae eos esse ajebat, qui cum nihil de bonis rebus, nihil de malis, nihil de animi permotionibus nihil de hominum moribus, nihil de ratione vitae didicissent, nihil omnino quaesivissent, clavum imperii tenere, gubernacula reipublicae se posse tractare putabant. De his non injuria dixeris, naufragos ad gubernaculum accedere: nam qui ad divinam sapientiam, tanquam ad Helicen et clarissimos Septentriones omnes suas cogitationes omniaque sua consilia non dirigunt, necesse est, ut errent et vagentur latius, ac demum in scopulos incidant. O ingenia metuenda! quorum studia, consilia, conatusque qui vellet aperire, et caussas investigare, quare tot novas res moliantur, nullum aut infitiandi, aut excusandi impudentiae locum relinqueret. Nemini enim dubium esse potest, quin ille parens et magister et omnium imperator Deus natura docuerit homines, natos il-

los esse ad honestatem, et sine ea nullam sanctam societatem, nec fidem regni, ut ajebat Ennius, esse posse. Atque illud etiam animadverti potest totius injustitiae nullam capitaliorem esse, quam eorum, qui cum maxime fallunt, id tamen agunt, ut patriae, ut libertatis, ut jurium hominum, ut ordinis, ut recti propugnatores esse videantur; ad quos cum accedit clamor et approbatio populi, quasi magni cujusdam et sapientis magistri, quas illi obducunt tenebras, quos gignunt in bonis metus, quas in malis et audacibus inflammant cupiditates! Nec jam se respiciunt, cum vident res maximas, quae concordia creverunt, discordia dilabi; omnia consilia, resque omnes, quas gerunt, nil aliud parere, nisi commutationem extinctionemque earum rerum, quarum utilitas longinqui temporis usu et periclitatione comprobata erat; malos mores quasi herbam irriguam magis magisque succrescere; et eos ipsos, qui propter metum novis legibus parent, nullamque conditionem recusare videntur durissimi imperii, cum se se occasio dederit, quasi resumptis post longam aegritu-

dinem viribus, nihil non tentaturos, ut amissa jura, fortunas et patriam recuperent. Quorsum haec, inquiet aliquis? Itane petulans atque acer es, ut ne ad solarium quidem idoneus audeas politices praecepta tradere, et exagitare eos, qui populis leges imponunt, praescribunt; jubent, vetant quod videtur, quibusque imperantibus, nemo quidquam recusare audet? Nunquam profecto a me impetrare potero, quin quoties incurram in homines, qui, exhausto rubore, se nihil habere putant, quod de existimatione perdant, ut omnia sine famae detrimento facere possint, illos vocis libertate perstringam, ac summis e contrario laudibus efferam eos, in quibus nihil fictum et simulatum est, qui societatem conjunctionis humanae aeque et sancte tuentur, qui eas artes colunt, quae sibi et aliis futurae sint emolumento, quique quoties aliquid genere et exemplo miserum ac funestum intuentur, aut medicinam afferunt, aut, si id non possunt, vicem reipublicae dolent. Ex horum profecto numero fuit Augustinus Antonius Georgius, cujus vitam historiae monumentis mandare decre-

vi. Non enim tantum admiratus sum ego illum virum, sicut omnes, propter praestantiam doctrinae, et bona animi singularia, sed etiam praecipue dilexi: primus enim me flagrantem studio laudis docuit, posse virtutem sine praesidio fortunae, quo contendisset labore et constantia pervenire, et sapientis animum magnitudine consilii, tolerantia rerum humanarum, contemptione fortunae, virtutibus denique omnibus, ut moenibus septum, omnia in se habere ad beate vivendum. Tu, Cardinalis amplissime, qui omni tempore omnique ratione summam in eum benevolentiam significasti, et ipsum habuisti optimorum consiliorum auctorem, studiorum socium et sollicitudinum participem, ita sunt omnia omnium miseriarum plenissima, grate et pie me fecisse judicabis, quod in ejus factis et moribus memoriae prodendis quam potui diligentiam consumpserim, in quo etsi nequaquam parem illius ingenio, at pro nostro tamen studio meritam gratiam debitamque nos retulisse arbitramur. Vale.

Pisis Kal. Maii MDCCXCVIII.

ANTONIUS AUGUSTINUS GEORGIUS

Si per se virtus sine fortuna ponderanda sit, non dubito quin Augustinum Antonium Georgium in principibus ponam, qui ornamentum urbi Romae et Augustinianorum familiae attulerunt. Nam illi neminem praefero fide, constantia, magnitudine animi, in rem Catholicam studio, et rerum divinarum sicentia. Sed nescio quomodo, cum eum nemo anteiret his virtutibus, multi honoribus praecucurrerunt. Nam neque eos obtinuit, qui a Romanis Pontificibus dari Augustinianis solent, quique honestissimi putantur. Sed vere possumus de eo praedicare, naturali quodam bono ipsum adeo

despexisse, quae plerique concupiscunt; salutari, appeti, decedi, assurgi, deduci, reduci, consuli, ut miserrimam omnino duxerit ambitionem honorumque contentionem. Ortum ille habuit in vico Aemiliae Provinciae, non longe ab Arimino, cui nomen Sancti Mauri, mense Majo an. MDCCXI. quo in loco tantum operae dedit litterulis illis, quibus pueri ad humanitatem informari solent, ut in suis magnam spem excitaverit se fore per illum honoratiores, et in commodiori fortunae statu. Nam praeter docilitatem, ingenii summam, magna in ipso apparebat indoles virtutis, ut omnia ineuntis aetatis oblectamenta respueret. Sed dum omnes omnia bona dicere, et laudare fortunam parentum illius, qui gnatum haberent tali ingenio talique indole praeditum, ipse consilium cepit totum se se Deo vovendi ea in religiosa familia, quae Eremitarum S. Augustini appellatur. Prestitit id Bononiae, cum vix complesset decimum sextum aetatis annum, nec in ea urbe modo, sed et Cesenae, Veronae et Patavii audivit eos praeceptores, qui in theologicis disciplinis prin-

cipes numerabantur. e quibus honoris caussa nomino Ciojam, qui universae Augustinianorum familiae postea praefuit, Troisium et Bertium, quocum familiarissime vixit, dum in Urbe studiorum caussa fuit, quemque absentem litteris, dum is in vita fuit, diligentissime coluit. E discipulo brevi magister factus munus suum sic exercuit in coenobiis Aquilano, Florentino, Mediolanensi, Patavino atque Bononiensi, ut apud quoscunque esset, poneretur in principibus, habereturque carissimus. Noverat doctrinam hominis vel ex eo tempore, quo sacris Bononiensibus praefuerat, magnus ille ingeniorum aestimator Benedictus XIV., qui quidem cum maxime cuperet, ut Archigymnasium Romanum clarissimis floreret praeceptoribus, munus Georgio detulit interpretandi in eo divinos libros. Ut Phidiae signum, simul adspectus et probatus fuit. Nam non solum habebat a theologis id, quod ab iis petendum fuit, sed dicere etiam didicerat, summoque studio, summisque magistris sibi comparaverat notitiam earum linguarum Graecae, Hebraicae, Chal-

daicae, Syriacae, et Samaritanae, quae multum adjuvant sacrorum librorum interpretem, quasque ceteri aut cursim, aut sero, aut subcisivis, ut ajunt, horis, aut nunquam arripiunt. Nihil dico de ingenio, in quo nemo illi par fuit. Quare nullus tam arrogans extitit, qui aut melius, aut eruditius quae explananda erant, se posse illustrare putaret; cumque ejus schola magna discipulorum frequentia celebraretur, his sic aderat, ut non minus ejus diligentiam facilitatemque (neminem enim commodiorem, jucundioremque invenisses) quam doctrinam suspicerent. Taedebat Pontificem male sic judicatum fuisse ab Hispanis theologis de historia Pelagianae haereseos, quam exaraverat Norisius Cardinalis, ut eam in librorum indicem retulerint, qui ex hominum manibus eripiendi esse videntur. Mandavit itaque Georgio, ut eam omni erroris suspicione liberaret, ostenderetque quas commolirentur machinas ii, qui omnia referentes ad partium studium, longe dissentiebant ab Augustini sententiis, quas omni tempore Catholica Ecclesia secuta fuerat. Quem op-

portuniorem locum expectasset probandi studium suum in Pontificem, in Cardinalem, quem lumen Romanae Ecclesiae et Augustinianae familiae dixeris, in huius Institutorem, et in omnes eos qui divinis litteris sic dant operam, ut secum bene agi putent, si in iis, quae nobis occultare Deo libuit, veri similitudinem, praesertim si testatio accedat doctissimorum sanctissimorumque hominum, consequantur? Quae scripto mandavit gratissima fuerunt Pontifici, et exitum, quem optabat, habuerunt; ut vero animum suum beneficum Georgio magis magisque declararet, ipsum legit in eorum numerum, quos in Palatio congregare solebat ad disserendum de rebus sacris et religiosis, praefecitque Angelicae, ut vocant, bibliothecae, postquam Bertius vocatus ad Pisanam Academiam Urbem reliquerat. Hoc fortunae munus amplissimum esse putavit, quod cum in eam se contulisset civitatem, quae monumentis antiquitatis, humanitate et doctrina praestaret omnes, eique unus ante alios esset carissimus, qui in ipsa dominabatur, multa ha-

beret incitamenta atque adiumenta ad litteras illas excolendas, quae e re Catholica magis esse videbantur. Itaque minime dubitavit recusare liberalissimas conditiones, quibus ad theologiam Vindobonae profitendam invitabatur. ea contentus laude, quod munus hoc procurasset doctissimis suae familiae viris Azzonio. Gervasio et Bertierio, qui expectationem, quam eorum excitaverat Georgius judex sane aequissimus et acerrimus meritorum, cumulate expleverunt. Possem et alios commemorare, qui per eum honores consecuti sunt, quod in testimonio dicendo nihil amicitiae, nihil obsequio, nihil spei, nihil timori tribuere judicaretur. Quo fiebat, ut eius observantia, ut pote viri ab omni cupiditate, assentatione et ambitione alienissimi, omnibus esset carissima. Mortuo Benedicto XIV. ea secuta sunt tempora, quae minus amica esse videbantur Augustinianae doctrinae sectatoribus, quod nihil tam valebat, quam Iesuitarum consilia sententiae atque auctoritas. Latere tum dixisses Georgium, si virtus per se ipsa non splendesceret, et imperantium bene-

neficiis indigeret, ut admirabilitatem sui faceret. Fortuna ipsa, quae vim habere maximam dicitur, illi cedit: nam sicut sapiens poeta dixit: *suis cuique fingitur moribus*. Solitus is nihil facere invitus, nihil coactus, nihil dolens, sine invidia laudem inveniebat, & nunquam intermissis studiis ea parabat, quae nullo tempore intermoritura omnes praeter ipsum judicassent. Nihil enim suscepisset, quod novitate ipsa non alliceret lectorem, & poterat facile, quod pollebat judicio acri & certo, eruditione prope incredibili, cum notitiam sibi comparasset undecim usque linguarum, quarum nonnullas ad vitam usque, ut ita dicam, revocasse videtur. Valde intererat hominum, qui Roma ad Thibeti, quod est latissimum Asiae regnum, populos mittebantur disseminandi caussa catholicam religionem, noscere eorum linguam, & notas, quibus quasi quibusdam velis obtegebant instituta & praecepta de divinis rebus, quae a majoribus acceperant. Omnium fortasse primus Thomas Hyde, cum de veterum Persarum historia scribendum suscepisset, &

secundum eum alii plures eruditissimi viri rem hanc tentaverant, sed mendose, & leviter adeo, ut oleum & operam fere perdidisse viderentur. Hoc ipsum stadium ingredienti Georgio multa statim occurrerunt, quibus confici posse putavit Thibetanum alphabetum, quo incredibili prope labore ac diligentia facto, cum ei necesse fuisset plures inter se linguas conferre, ut unam assequeretur, in eo vigilavit, ut omnia minima, quae ad ortographiam & syntaxim pertinebant, notaret, probaretque exemplis atque monumentis. Inter haec erant specimina codicum, qui in Tartaria an. MDCCXXI. inventi cum ad manus pervenissent Petri Russorum Regis, illa vulganda putavit, ut doctissimum quemque & gloriae & praemiorum spe ad eadem interpretanda inflammaret. Longum post tempus unus vidit Georgius subsidio plurium linguarum, quae affinitate quadam inter se conjunctae esse videntur, nil aliud continere codices illos nisi legales tesseras cum tota illa magicarum superstitionum copia, quibus Thibeti populi omni tempore fuerunt infecti. Nec sa-

tis illi fuit in eorum lingua interpretanda consistere: dilatavit enim adeo argumenti fines, ut multa, quae propter antiquitatem atque obscuritatem in hominum ignoratione versabantur, inquireret, videlicet eorumdem originem, progressus, cum vicinis commercium, fortunam, vices, domesticas institutiones, studia, ingenia, mores, varietatesque, quas hi pro varietate temporum passi sunt, Deorum cultum, quem, multis allatis argumentis, ab Aegyptiorum proprio vix, ac ne vix quidem differre probat. Ea de ipsorum numine, quod Buttam, vel Xacam nominant, narrat, ut in eo caussa & origo reperiri possit tot tantarumque superstitionum, quibus illorum mentes imbutae sunt, cui numini aliud ejusdem nominis a se primum detectum adjungit, a Deo, ut ipsi putabant, ortum, facile ut existimari possit hunc aliosque errores plures apud eos disseminasse primis Ecclesiae temporibus impiissimum Manetem, qui se fallacissime venditans divinum hominem, vel Dei filium, vel Paracletum ipsum, tot decepit nationes, totque superstitionibus implevit.

Quod ad descriptionem regionum, totiusque regni pertinet, sane non potuisset a Geographo rectius ac diligentius fieri, nec ab historico narratio eorum, qui in eo dominati sunt. Certamen sibi esse voluit cum Beaussobrio, quasi iratus increpans illius arrogantiam, quod in Manichaeismi historia effuse petulans, ut Calvinistis suis rem gratam faceret, ausus fuerat in universos fere Ecclesiae Patres, ac praesertim Augustinum, qui tot de Manichaeis triumphos retulit, mendacissime invehi. Nemo porro superiorum, qui de rebus Thibetanis scripserunt, aliquid hujusmodi expresserat, sed ne suspicatus quidem fuerat tot & tanta ab uno homine tam acute, tam erudite, tam solide potuisse bono in lumine collocari, qui edito an. MDCCLXII. Thibetano alphabeto (sic enim liber inscribitur, sane modeste nimis, quasi auctor partes grammatici tantummodo egerit) illud assecutus videtur, ut ex oraculo dici putarentur, id est verissime, quae de Thebaicis, Memphiticis, & Aegyptiis omnibus antiquitatibus ab eo disserebantur. Ipse omnium primus

nos docuit Aegyptiacae linguae dialectis praeter Memphiticam inferioris Aegypti, & Thebaicam superioris propriam, tertiam adjungendam esse ex iis duabus conflatam, quam alii Basmuricam, sive rectius Bsamyricam vocant, ipse vero Ammoniacam dicit. Hanc jam indè ab Herodoti temporibus cognitam, & a Bsamyritis *Transniliacis* populis in Lybia Aegypti, eaque maxime, quae in latere occidentali Sahidis, & Nubiam Aethiopiamque versus protenditur, ad Arabum usque occupationem, ac fortasse etiam ultro, diu usurpatam excultamque fuisse putat. Neque illum sua de tertia illa dialecto divinatio fefellit, quam comprobavit fragmento Epistolae I. S. Paulli ad Corinthios tum forte fortuna detecto, in quo uno hujus ipsius dialecti tum vestigia apparebant (*). Verisimile autem illi videtur,

---

(*) *Scimus posteà ad manus Borgiae Card. praeter hunc alios antiquissimos Codices pervenisse, qui hujus dialecti certissima monumenta continent;*

codicem, qui fragmentum illud continet, exaratum fuisse iis temporibus, quibus Justiniani Caesaris opera Ammoniacae regionis incolae ab Jovis Ammonis turpissimo cultu ad Christianam religionem traducti fuerunt. Aliud & antiquius ad manus ejus pervenit fragmentum Evangelii S. Joannis Graeco-Copto-Thebaicum, quod IV. Ecclesiae saeculo scriptum arbitratur, cui illustrando opus destinavit doctum sane & laboriosum. Nam non solum in eo grammatici & interpretis partes egit, omnia perpendens verba accuratissime, sed etiam maleficium haereticorum vindicavit, qui pravum in sensum hujus Evangelii testimonia detorserant. Quae vero praefatus est de aetate auctoritateque tum hujus fragmenti, tum alterius, de quo supra diximus, de Thebaeis divinorum librorum vetustissimis interpretationibus, sine quibus minime innotuisset orbi terrarum illarum gentium idioma, de illorum industria, qui in hoc explicando operam posuerunt, de diversis pro varietate temporum Graecae scriptionis generibus, quibus usi sunt Thebaei, ad

quos per Alexandri successores sermo & oratio Graecorum pervenit, de S. Thecla femina sanctissima Aegyptia, quae codicem Regio-Alexandrino-Britannicum appellatum saeculo IV. sua manu scripsisse traditur, de S. Johanne Lycopolitano, qui non in Aegypto solum, sed etiam in toto christiano orbe Prophetae nomine decoratus fuit, aliisque multis hujusmodi rebus, declarant quidem eo praeditum fuisse Georgium mentis acumine, eruditione atque doctrina, ut unus potuerit maximis in tenebris lumen clarissimum nobis praeferre. Cum intelligeret vero vehementer exoptare harum rerum studiosos, ut si quae inveniri potuissent Liturgica monumenta vel ex Aethiopicis, vel ex Thebaicis, Aegyptiisque oris ad nos delata, ea in vulgus ederentur, eorum desiderio sic satisfecit, ut nosci potuerit longo & locorum & temporum intervallo illarum regionum incolas nobiscum mirum in modum consensisse in Deo cultu caste sancteque tribuendo. Haec colligens imitari se gloriabatur Isidis studium, qui, ut Aegyptiarum fabularum narratores

tradunt, nihil non egit, ut Osiridis sui membra ab homine omnium scelestissimo Typhone lacerata atque dispersa inveniret atque componeret (*). Cujus gloriae particeps, & socius, & adjutor mirificus fuit Stephanus Borgia Cardinalis, cujus nomen magis quam honoris amplitudo posteritati commendabunt curae, quas impendit in quaerenda ubicunque locorum, ac praesertim in Oriente sacrae & profanae antiquitatis monumenta, & in inflammandos doctissimos viros ad ipsa explicanda. Quod sane miraberis nongenti usque Thebaici codices ad manus illius pervenerunt, id vero val-

---

(*) *Nihil in lucem emittebat Georgius, de quo omnes litteratorum ephemerides summis cum laudibus non loquerentur. Istud vero opus, de quo nunc diximus, extulit adeo homo Gallus, ut de eo libellum confecerit, cum hoc titulo:* Manuscrits Anciens precieux a la doctrine de l' Eglise & a la pratique du culte catholique nouvellement publiès a Rome sus ce titre : Fragmenta &c. Paris Veuve Desaint imprimeur du Châtelet.

de dolebis, quod in hoc motu temporum, ac rerum conversione, miserrimaque perturbatione omnis evanuit spes hujus augendi thesauri & ad communem utilitatem referendi. Dum licuit Georgio studiis vacare suis (non vidit enim in omni genere deformatam eam civitatem, in qua ipse & patronus suus florentissima multum omnibus gloria ptaestiterunt) ex hoc ipso Aegyptiacae antiquitatis thesauro prodierunt in lucem *de miraculis S. Coluthi, & reliquiis Actorum Sancti Panesniv martyrum Thebaica fragmenta duo* cum dissertatione ejusdem Cardinalis de cultu S. Coluthi, & commentariis Georgii ad illa ipsa fragmenta omni ex parte illustranda. Nam praeter ea, quae ad verba & locutiones Thebaicae, aut Memphiticae dialecti spectant, habent multa, quae chorographica quarumdam urbium, oppidorumve nomina, res gestas illorum Martyrum, miracula, supplicia in iis aliisque cruciandis adhibita, disciplinam, ritus, & mores Ecclesiasrum Thebaidis, & dogmata catholica de incruento sacrificio, de sancto oleo, de sanctorum invocatione de-

que canonicis libris explanant atque tuentur. Quae dum doctissime persequitur, si qua alia in manibus fragmenta habuit, quae in rem facere viderentur, his carere lectores suos noluit, ea praesertim inquirens monumenta, quae adversus Dodwellum probabant non illos modo, sed & quamplurimos alios Aegyptios in immanissima illa Diocletiani Caesaris persecutione vita privatos fuisse. Is enim indigne adeo ferebat inveniri homines, qui unum Deum colerent, ut septuaginta usque numina tum masculini, tum feminini sexus ipse adoraret, ceterisque adoranda proponeret; qua de re pluribus quoque egit in praefatione. Inde vero occasionem arripuit sua defendendi de Bracmanorum religione ab homine e Carmelitanorum familia, qui calumniam, fraudem & dolum adhibuerat ad illa acerbissime reprehendenda. Profecto existimabis minime ob senectutem concalluisse Georgio locum illum animi, ubi stomachus habitare dicitur, ardenter adeo, salse & erudite de omni Indica idololatria disserens, adversarium suum perstringit. Infinitum esset si

ea vellem recensere omnia, quae a vulgari prudentia remotiora de Aegyptiacis antiquitatibus tum sacris, tum profanis Georgius in medium attulit, qui ob rerum novitatem sibi ignosci voluit, si interdum vagari longius videretur. Variae enim & diversae, & in omnem partem diffusae disputationes, quae rem catholicam juvare poterant, exigebantur ab eo, cujus in facultate esse videbatur abstrusiora interpretandi, & sanctiora confirmandi testimoniis, auctoritatibus atque exemplis Ecclesiarum, quarum monumenta minime vulgata & nota erant, quaeque antiquitate omnique veritatis nota erant commendatissima. Sane non dubito quin haec scripta tanti fecerit, ut prae iis cetera parvi pependerit, quanquam nihil litteris mandare soleret, quod non esset omni ex parte perfectum. Moris majorum summus imitator, & antiquitatis, supra quam credibile est, amans, vehementer dolebat si quidquam adferretur, non dico ad eas artes, quae conjectura continentur, quaeque sunt opinabiles, sed ad theologiam & ad morum scientiam, quod non haberet in sa-

omnes veritatis numeros. Ea propter, quamvis a contentionibus esset alienissimus, non dubitavit defensionem suscipere Camilli Blasii in ea, quae tum plurimum agitabatur, quaestione de Cordis Jesu cultu. Quorum est theologorum, ajebat ipse, Christum dividere, renovare veteris cujusdam Scholastici de duabus, ut loquuntur, Christi filiationibus sententiam, & periculum creare indoctis, ut cor carneum venerentur & colant? Hujus carnei cordis cultus originem quaerens, neque a Margherita Alacoqua, neque a Jesuita Colembierio hominibus Gallis, sed a Britanno haeretico Thoma Goodwinio, qui Theologiam Oxonii docuit, primo excogitatum fuisse ait (*). quae, & alia hujusmodi plura, ut probaret quidquid adventitium esset, minime vero hereditarium suspectum homini catholico esse debere,

(*) *Ejus opusculum, quo de carneo Christi Corde agitur, hunc prae se fert titulum:* Cor Christi in caelis erga peccatores in Terris.

nec ad recolendam memoriam singularis charitatis, qua Christus Jesus genus humanum prosecutus est, necesse esse ipsum quodammodo in membra secare, magna eruditionis & doctrinae copia nos docuit. Quia plurima suppeditaverat adjumenta Blasio ipsi ad *Dissertationem Comminatoriam* (sic opus inscribitur) *de Festo Cordis Jesu* exarandam, hanc ipsam oppugnatam vehementissime defendit, edito libro cum hoc titulo: *Christotimi Ameristae adversus epistolas duas ab anonymo Censore in Dissertationem comminatoriam Camilli Blasii de Festo Cordis Jesu vulgatas Antirrheticus: accedit Mantissa contra epistolium tertium nuperrime cognitum: Romae MDCCLXXII;* postremo vero, eodemque anno non sine aliquo suo stomacho ac persalse audaciam anonymi cujusdam Florentini confutavit, scripta longissima epistola, qua contendit non rationem, non auctoritatem, non disciplinam, non officium suadere, ut Jesus Christus divisus adoretur, & non Nestorium modo, sed & Beruierium in gravissimos lapsos fuisse errores, quod vel *praecisivam*, vel *divisivam*;

ut theologi loquuntur, adorationem admiserint, quam ob rem Χριστοτομοι appellati fuerunt. Harum sententiarum auctores gravioribus verbis, quam ejus consuetudo & mores ferebant, reprehendit, quia verebatur ne ex permisso Cordis Jesu cultu aliquis vel malitia vel imperitia occasionem sumeret damnatos jam errores aliqua ex parte renovandi. Acriorem caussam partium studium faciebat, in qua illud Georgius consecutus est, ut modestiores fecerit adversarios suos, & ut ea, quae litteris mandaverat Blasius, plurimum per se roboris assumpsisse viderentur. Ut in universorum autem animos tanquam influere posset, faciebat fama & opinio doctrinae omniumque earum virtutum, quae pertinent ad mansuetudinem morum, ac facilitatem. Nam his mirum in modum praeditus homo nunquam a se obtinuisset, ut in has dimicationes descenderet, & acriter ac severe ulcisceretur eos, qui adversari sibi conati sunt, nisi id communem utilitatem exigere putasset. Hujus vis tanta erat in Georgio, ut nunquam defuerit iis, qui consilia ab illo

exquirebant de rebus divinis ac religiosis, nec sane dubito, quin multa de ejus sententia in illis Cardinalium Decuriis, quibus commissum est videre, ne quid Christiana Respublica detrimenti capiat, statuta fuerint. Ut cetera ommittam, nonne ejus consiliis, ac diligentia celeriter de manibus audacissimorum hominum, qui pro defensione Beruierii pugnabant, delapsa arma ipsa ceciderunt? Ei quidem vir eximiis laudibus abundans Marius Marefuschius Cardinalis, multis audientibus, hoc tribuit, ut diceret, nullum esse locum in theologia, & in sacrorum disciplina, qui, disserente Georgio, non lucide appareret. Quidquid autem scripto mandabat omni eruditionis genere ornabat; gaudebat vero in primis, si quod erat occultum & reconditum in lucem proferret, quod praesertim obtinebat, cum ad disputandum invitabatur de orientalibus antiquitatibus. Quaerenti Andreae Christiano Hwiid Hauniensi, qui Romae vulgandum susceperat *specimen ineditae versionis Arabico-Samaritanae Pentateuchi e codice manuscripto Bibliothecae Barberinae*, quid sen-

tiret de hujus codicis praestantia, deque ceteris Arabicis veteris Testamenti interpretationibus, ea respondit de numero, de aetate, de natura harum interpretationum (septem usque ipse enumerat, iis praetermissis, quae post Mahumetem Christiani e codicibus Syriacis & Graecis sibi compararunt) ut ex iis facile intelligi possit, quod sit ferendum judicium de hujusmodi scriptis prae ceteris interpretationibus. Ex his quidem Syriacas magni faciendas putabat, qua de re pluribus egit in epistola ad Jacobum Georgium Adlerium, suis ponderibus perpendens vetustissimum codicem Syriacae interpretationis Novi Testamenti, qui in Bibliotheca Angelica adservatur. Hoc de codice nonnulla quoque tetigit in epistola ad Jo. Bernardum de Rubeis, qua Theodosii Diaconi Saracenicum distichon Graecis litteris exaratum feliciter sane explicavit. Tanta erat in eo exoticarum linguarum peritia, tanta vis eruditionis, tantum ingenii acumen, ut Oedipus in omni re obscura interpretanda esse judicaretur. His subsidiis rem sane magnam & difficilem praesti-

stitit, cum rogatu Nicolai Fogginii, qui in monumentis Capitolini Musei explicandis adlaborabat, Palmyrenas inscriptiones quasdam interpretandas suscepisset. In partienda disputatione sua quatuor conjecturas posuit, ex quibus conficitur Palmyrenam linguam cum Hebraica conjunctam adeo fuisse, ut verba verbis respondeant, eumdemque prorsus sensum referant, quem reddunt tum Latinae, tum Graecae veteres interpretationes, quae eas inscriptiones comitantur. In eo vero, quod ad harum auctores pertinet, eas exaratas putat a Magis Solis Sacerdotibus, qui dogmata Zoroastri sequebantur, quae in orientis regionibus spargi coeperunt, postquam Hebraei servitute Babylonica liberati Hierosolyma iterum aedificabant. Multa protulit huic suo non inopportuna sermoni de linguis Hebraica, Syriaca, Chaldaea, aliisque hujusmodi orientalium populorum propriis, ut probaret quid ex iis in Palmyrenam dialectum derivaverit. Ex variis vero sermonibus suis id apparere putavit, non unam modo Hebraeorum linguam, sed & litterarum formam ab Abrahae posteris

Jam inde a Davidis & Salomonis aevo usurpatam Palmyrenos vel Tamodaeoros retinuisse ad id saltem usque tempus, quo a Nabuchodonosoris exercitu Tamodora eversa fuit, & vitia, quae in Hebraica exemplaria divinorum librorum Babylonicae captivitatis tempore irrepserunt, quaeque ab Esdra emendata dicuntur, oriri potuisse ex corruptela dialecti ejus plane similis, quae in linguam & scripturam Hebraicam Tamodaeorum invecta est. Mythologi quoque, somnia Zoroastri exponens, nec non chronologi & geographi partes egit, perinde ac si in omni scriptione id ei propositum esset, ut mirum quemdam omnium quasi consensum doctrinarum ingenuarumque artium, concentumque demonstraret, adeo ut quocumque ingrederetur ejus oratio, magno esset instructu ornatuque eruditionis comitata. Illum audiens, fabularum explicatores, atque narratores tanto in pretio habendos judicabis, ut vel iis, qui toti sunt in rebus divinis exponendis, illorum scripta quaerenda & investiganda sint. Ea propter plurimum laudavit Hieronymi Ferrii amicissimi

sui consilium, qui omnium primus Alexandri Sardii Ferrariensis opus de Numinum & Heroum originibus in lucem emisit, quo de opere deque ejus scriptore quid judicandum sit pluribus exposuit. Timendum enim erat, ne quaedam ejus dicta malam in partem detorquerentur, quae dum perpendit atque excusat, multa profert ex interiori theologia petita de Dei & animae natura, de Corporis Christi integritate, de erroribus Valentinianorum, Gnosticorum, & Beausobrii etiam de Nocte, Abysso & Chaos, deque animi corporea natura, ac breviter dilucideque respondit accusationi, quam de se fecerat *Americanarum Disquisitionum* anonymus Auctor, (*) idcirco quia operam po-

(*) *Dixerat hic* Vol. II. Recheches Plosophiq. sur les Americains: c'est manquer de charité, de politesse, de respect, que d'injurier Mons. de Beausobre, qui apres tout, n'etoit pas obligè di dir du bien de S. Augustin. *Quae dum pronuntiavit, respexisse ad ea videtur, quae co-*

suerat in detegenda fraude & malitia Beausobrii ipsius, qui S. Augustino, aliisque Ecclesiae Patribus ea impudentissime tribuerat, quae ab illorum doctrina atque sapientia prorsus abhorrebant. Haec dum tractabat, magistrum se praesertim habere gloriabatur clarissimum illud Catholicae Ecclesiae lumen Augustinum, quocum fere maluisset errare, quam cum ceteris vera sentire. Quare minime satiari poterat in ejus laudibus recensendis, & dogmatibus explicandis, quibus, qui usi fuissent vel in philosophia tradenda, hos vere sapientes appellabat. Hujus sui studii in doctissimum Latinae Ecclesiae Patrem exemplum quoque esse possunt ejus commentaria ad Hadriani Cardinalis opus sane elegantissimum *de vera phi-*

---

piose disseruerat Georgius in praefatione ad Alphabetum Tibetanum, sed cum suorum dictorum nullam attulisset rationem, in ipsum convenire ait Georgius ipse illud Augustini: dixit & abiit, nihil sategit probare, nihil curavit ostendere.

losophia ex quatuor Ecclesiae Patribus, quod Romae vulgatum est an. MDCCLXXV. Illa vis, quae complexa rerum scientiam falsa a veris distinguit, quae sensa alterius & consilia sic verbis explicat, ut ii, qui audiunt, de illis dubitare non possint, quam qui maxime apparet in his commentariis, quibus id propositum fuisse dixeris, ut sententiae Hadriani Cardinalis, novis allatis Augustini dictis, confirmarentur, quaestionesque dirimerentur de quibusdam hujus Doctoris operibus, quae vel vere, vel falso illi tribuebantur. Nihil sane erat illi judicundius, quam si ea tradidisset, quae ad mores & instituta veterum Christianorum, quae ad vitam, quae ad virtutem pertinebant, quaeque tetigit alloquens Sacerdotes & Clerum S. Sorianae Ecclesiae, cujus commodo Romae an. MDCCLXXXVII. typis impressum fuit *Breviarium feriale* (sic enim vocatur) Sanctorum Ephraym & Jacobi, sunt quidem sapientissimi monitoris, cui nil tam curae erat, quam ut omnes Orientis populi manerent in pristina Chatholicae Ecclesiae communione. Ad hanc enim re-

ferebat quidquid litteris mandabat, quod non modo facere, sed etiam cogitare quicquam non audebat, quod eximiam in Deum pietatem minime redoleret. Adeo vero aberat a suis scriptis efferendis, ut interdum ejus modestiam jure increpare te posse putasses. Nam qui doctrinae fama, honore, & aetate ceteris praestabat, ipsum si audiisses, locum civitatis & familiae infimum tenere dixisses. Traheretur autem licet & duceretur quam qui maxime ad cognitionem & scientiae cupiditatem, graviores non excolens modo & severiores disciplinas, sed & eas quae ab humanitate nomen acceperunt, cum nec poesis expers esse voluisset, abduci tamen a suis studiis facile patiebatur, cum Augustinianae familiae rebus erat consulendum. Sed non deerant, qui existimarent Georgii gloriam in otio tantum & litteris consistere, alteram vero partem, quae in rerum agendarum usu & ratione versatur, illi ut propriam peculiaremque haud esse adscribendam. Ex quo fortasse factum est, ut universae familiae praefectura, postquam mortuo Francisco Xaverio

Vasquesio illam per biennium fere gubernaverat, minime decoraretur, cujus consilii qui auctores adjutoresque fuerunt, necesse fuit illos poenitere. Habita tamen ratio meritorum illius fuit, cum ipsi, ut supra locuimus, demandata fuisset praefectura Angelicae Bibliothecae, atque procuratio universae familiae, quam per duodeviginti usque annos sustinuit. Idem a consiliis fuit Cardinalibus illis, qui judicant de religiosis ritibus & de Catholicae Fidei quaestionibus, qui si quid statuendum fuisset de ritibus praesertim & scriptis orientalibus, a veritate se desciscere putassent, si a sententia Georgi vel minimum discessissent. Hos autem honoris gradus ita tenuit, ut in constantia recte factorum sibimet ipsi constare, nec nullo officio claudicare judicaretur; dumque curabat, ne quid contra mores, leges, atque instituta fieret, quibus familiae dignitas ac decus continetur, videbat etiam diligenter quae pro conditione temporum emendatione sapientiores digna putassent. Hinc factum, ut philosophia in Augustinianorum scholis veterem barbariem

exuerit, multique hac, aliisque optimis studiis per eum exculti, ea severint, quae fructus uberrimos tulerunt. Si quem itaque invenisset, qui magnum studium, multamque operam in res obscuras atque difficiles, easdemque neque necessarias, neque utiles conferret, statim jubebat eum vim ingenii ad indagationem atque inventionem veri transferre, in quo uno sapientiam atque prudentiam ponendam esse ajebat. Neminem negligebat, in quo aliqua ingenii significatio apparebat, quid posset consequi, aut non posset videbat, eique quasi lumen de suo lumine, ut ajebat Ennius, accendens, comiter monstrabat viam, quam tenens aliquid ad communem utilitatem afferre posset. Qui vero altissimo animo & gloriae cupido praediti ad magna suscipienda impellebantur, his quasi in alto navigantibus sic aderat, ut aliquando portum tenere possent. Cum in illorum scripta incidebat, quae nostros animos deterrere atque avocare a religione conantur, minime sane illi verba deerant ad illorum levitatem impietatemque detegendam atque perstrin-

gendam, quorum immanitatem detestabiliorem esse ajebat, quod arma ad omni scelere lacerandam rempublicam praeparabant. Deteriores obstinatioresque e medio tollere, meliores vincere, bonos ab illorum contagione liberare optasset. At, inquies, cum permagna praemia proposita sint iis, qui Pontificiae aulae & Urbi tanquam lumen aliquod ingenii, doctrinae, humanitatis, prudentiae atque innocentiae splendescunt, nonne his, quae interdum ignavissimis deferuntur, decorari oportuit Georgium, cujus de laudibus omnium, vel invidorum erat fama consentiens? Fertur quidem Clementem XIV. declarasse velle se eum in Cardinalium Collegium cooptare, sed quia ea erat natura Pontificis, ut raro, quae ad spem proponebat, re praestaret, vel morti proximus frustra se rogari passus est a Malvetio Cardinali, ut aut novos Cardinales crearet, aut quos secreto is creasse putabatur, vulgaret (*). Minime autem Georgio

(*) *Audacius instantem Cardinalem iracunde reprehendisse scimus, qua in iracundia corpus niger-*

molestum fuit carere eo, quod non desiderabat, cum ei esset persuasum totam vim bene vivendi in omnium rerum humanarum contemptione & despicentia esse ponendam. Deo quidem gratias agebat, quod vel in decrepita aetate tam bona uteretur valetudine, tamque bonis viribus, ut adolescentiam minime requireret. Quartum annum agebat supra octogesimum, cum librum,

---

rimum ostendit alba scabie totum conspersum, quod vim veneni nonnulli effecisse putant. Hujus autem veneni quae ratio fingitur? ubi quaesitum est? quomodo paratum? quo loco & a quibus traditum? Sibi quidem datum Pontifex ipse fuisse putabat, admonitusque ab eo fuerat, qui Bononiae munus Quaesitoris Fidei exercebat, ut remedia, quasi rem, ut esset gesta, teneret, ad illud sanandum adhiberet. Quo cognito, minime defuerunt, qui illum rogarent, ut tanti criminis reos, si qui fuissent, detegi juberet. Quibus respondit: facere quidem possem: sed nemo in Christi schola eruditus erit, qui non censeat ignoscendum esse. Haec ab re dicta putabis, scisse tamen non te pigebit.

de quo diximus, de S. Colutho & Panesniv martyribus exaravit, nullum sinens praeterire diem, quin ad multas horas in scriptione atque lectione versaretur. Summa erat in eo corporis siccitas, facile ut exequi quoque posset omnia religiosi hominis officia & munera; tantum cibi & potionis adhibebat, ut reficerentur vires, non opprimerentur; utebatur exercitationibus modicis; statis temporibus in suburbano oppido, cui Marini nomen, rusticabatur; prorsus rationem valetudinis habebat, ut, si fieri potuisset, sensim sine sensu aetas senesceret, nec subito frangeretur, sed diuturnitate extingueretur. Illa etiam haud mediocria ad valetudinem tuendam arbitrabatur, nil ambitiose concupiscere, nullis de rebus, quae in hominum vita accidunt, vehementer dolere, &, tanquam emeritis stipendiis cupiditatum omnium, secum esse, secumque, ut dicitur, vivere posse. Poterat ne tantus vir, tot virtutum comitatu septus, stipatusque studiis adolescentiae non jucundam efficere senectutem? Extremo tempore opus de Graecis inscriptionibus, quae

sunt Arimini in Templo magnificentissimo a Malatestis exaedificato, scribere aggressus est ea mente, ut civilem & ecclesiasticam historiam patriae suae illustraret, sed cum coepisset variis valetudinis incommodis ac praesertim molesta pituita tentari, haud potuit extremam illi manum ponere. Nil vero impedivit, quominus ad mortem sancte obeundam adjutoria, quod & in tota vita fecisse videtur, sibi pararet, vitamque placide amisit IV. Non. Maii MDCCXCVII. die Sanctae Monicae sacro, quam ptaecipuo quodam cultu, ut pote Augustini sui matrem, venerabatur. Laudatus publice fuit in Archigymnasio Romano, nec caruit monumento in Aede S. Augustini, in quo ejus amicissimus Cajetanus Marinius hanc posuit inscriptionem.

P. MEMORIAE P.

Augustini . Ant. Giorgi . V. R.
Ex. Prov. Aemil. Vico . S. Mauro . F. E. Augustiniani
Illa . natura . et . litteris . assecuti
Quae . in . optimo . viro . desiderantur
Fuit . enim . modestissimus . omnium . vita . innocens
Ingenio . florens . candidus . constans . frugi
Idem . linguarum . eruditissimus . rerum . divinarum
Et . totius . antiquitatis . scientissimus
Auctor . librorum . plurimorum . Praef. Bibl. Angelicae
Proc. Generalis . et . summus . Promag. Ordinis . sui
In . Lyceo . Rom. Interpres . voluminum . sacrorum
Consiliarius . Quaesitorum . pravitatis . haereticae
Item . Patrum . EE. ritib. et . scriptis . Orient. Judicand
Probator. doctrinae . Clericorum . Urbanor
Hic . egregius . Augustinianae . Scholae . defensor
Vixit . ann. P. M. LXXXVII.
decessit. IIII. non. Mai . natali
Monicae . matris . quam . in . D. mortis . religiose . coluit
A. P. C. N. MDCCXCVII.
Collegium . Fratrum . S. S. moerentes
Titulum . cum . imaginis . forma . posuere
Corpore . in . proximum . commune . sepulcrum . inlato
Ave . senex . pientissime . et . pete . pro . sodalibus . tuis .

OPERA EDITA

Alphabetum Tibetanum Missionum Apostolicarum commodo editum: praemissa est Disquisitio, qua de vario litterarum ac regionis nomine, Gentis origine, moribus, superstitione, ac Manichaeismo fuse disseritur. Beausobrii calumniae in Sanctum Augustinum, aliosque Ecclesiae Patres refutantur, studio & labore Fr. Augustini Antonii Georgii Eremitae Augustiniani: Romae 1762. typis Sacrae Congregationis de Propaganda Fide in 4.

Fragmentum Evangelii S. Johannis Graeco-Copto-Thebaicum Saeculi IV. Additamentum ex vetustissimis membranis Lectionum Evangelicarum Divinae Missae Cod. Diaconici reliquiae, & Liturgica alia fragmenta veteris Thebaidensium Ecclesiae ante Dioscorum ex Veliterno Museo Borgiano nunc prodeunt in Latinum versa & notis illustrata opera & studio F. Augustini Antonii Georgii Eremitae Augustiniani: Romae apud Antonium Fulgonium 1789. in 4.

De Miraculis Sancti Coluthi & reliquiis Actorum Sancti Panesniv Martyrum Fragmenta duo, Alterum auctius, alterum nunc primum editum: Praeit Dissertatio Eminentissimi Stephani Card. Borgiae de cultu S. Coluthi M. Ac-

cedunt fragmenta varia notis inserta omnia ex Museo Borgiano Veliterno deprompta & illustrata opera ac studio F. Augustini Antonii Georgii Eremitae Augustiniani: Romae apud Antonium Fulgonium 1793. in 4.

Christotimi Ameristae adversus epistolas duas ab anonymo Censore in Dissertationem Commonitoriam Camilli Blasii de Festo Cordis Jesu vulgatas Antirrheticus: accedit Mantissa contra epistolium tertium nuperrime cognitum.: Romae 1772. apud Benedictum Francesi in 4. *Georgius ipse multa adjumenta suppeditasse videtur Blasio ad Dissertationem illam Commonitoriam exarandam, in quam & retulit Latinam epistolam sic inscriptam*: Theodori Kataerontis civis Januensis ad amicum Romanum de miraculo Cordis Jesu Novii, ut ajunt, patrato non. April. an. aerae Chr. 1770.

Lettera di Antropisco Teriomaco a Cristotimo in difesa dell' Avvocato Blasi contro la lettera Fiorentina di un Villeggiante detto il Teologo Cacciatore: *Extat in libro, qui inscribitur*: Lettere Italiane aggiunte all' Antirretico in difesa della Dissertazione Commonitoria dell' Avvocato Cammillo Blasi sopra l' adorazione e la festa del Cuor di Gesù: Roma 1772. per Benedetto Francesi in 4.

De Theogonia Alexandri Sardii judicium ad Hieronymum Ferrium. *Extat in opere, cujus est titulus*. Alexandri Sardii Ferrariensis Numinum & Heroum Origines nunc primum in lucem editae, praemisso de ejusdem Sardii vita Commentario, Auctore Hieronymo Ferrio Longianensi in Ferrariensi Academia publico Eloquentiae & Romanarum Graecarumque antiquitatum Professore. Romae 1775. in 4.

Adnotationes ad opus Hadriani Card. S. Chrysogoni de vera Philosophia ex quatuor Ecclesiae Doctoribus editum Romae 1775. in 4. cura & studio Benedicti Passionei a Secretis Con. greg. Aquarum.

Epistola ad Jo. Bernardum de Rossi de Distico Saracenico Theodosii Diaconi: *Extat in fine operis, cujus est inscriptio*: Corporis Historiae Byzantinae nova Appendix opera Georgii Pisidae Theodosii Diaconi, & Coripi Africani Grammatici complectens: Romae apud Benedictum Francesium 1777. in fol.

Collectanea quaedam ab Augustino Antonio Georgio Augustiniano in Romano Sapientiae Gymnasio Sacr. Script. Interprete suppeditata, & ad B. Jacobum Viterbiensem pertinentia. *Extant in opere Symmachi Mazocchii, quod inscribitur*: De Sanctorum Neapolit. Ecclesiae Episcoporum cultu Tom. II. p. 418.

Epi-

Epistola de morte Francisci Xaverii Vasquesii Augustinianorum Prioris Generalis.

Eminentissimis ac Reverendissimis PP. Episcoporum & Regularium negotiis Praesidentibus in causa unionis Coenobii Plebistaurinae vulgo nuncupati cum majori coenobio Augustinianorum Camerinensium Informatio contra Patroni adversarii criminationes a F. Augustino Antonio Georgio Procuratore Generali Ordinis Eremitarum S. P. Augustini Sac. Congregationis jussu exhibita: Romae 1779.

De Arabicis interpretationibus veteris Testamenti epistola. *Extat in opere, quod inscribitur*: Specimen ineditae versionis Arabico-Samaritanae Pentateuchi e codice manuscripto Bibliothecae Barberinae edidit, & animadversiones adjecit Andreas Christianus Hwiidius Hauniensis; Romae 1780. in 8.

De Versionibus Syriacis Novi Testamenti epistola *Extat in opere Jacobi Georgii Adler edito Hafniae 1790. hoc ipso de argumento.*

De inscriptionibus Palmyrenis, quae in Museo Capitolino adservantur interpretandis epistola ad eruditissimum virum Nicolaum Canonicum Fogginium Corsinianae Bibliothecae Praefectum: Romae apud Antonium Fulgonium 1782. in 8. *Extat etiam in Volumine IV. operis, quod*

inscribitur : Museum Capitolinum Tom. IV. continens marmora anaglypha: Romae 1782.

Monitum ad Sacerdotes & Clerum S. Syrianae Ecclesiae. *Extat* in Breviario feriali Syriaco *edito Romae typis Propagandae Fidei* 1787.

Multa inedita scripta reliquit Georgius, consilia praesertim de rebus sacris et religiosis, explicationes monumentorum antiquitatis, epistolas ad amicos, in quibus omnibus multa comparet eruditio atque doctrina. Ea enim erit bonitate naturae, ut quidquid ab ipso petiisses, facile obtinuisses, tanta vero liberalitate, ut gratiam non exigeret, ne beneficium foenerari videretur.

ANGELUS FABRONIUS

ANGELICO BECCHETTO S.

Si fuit unquam tempus ullum, quo solitudine nos ali oporteat, amicorum optime, istud profecto est, quo nil nisi dira, tristia, ac prorsus miseranda oculis obversantur. Quem fortunae muneribus amplissimis ornatum paullo antea suspiciebamus, nunc ab inferiore atque humiliore vincitur; optima haereditas, quae per manus a patribus tradebatur liberis, quaeque erat omni patrimonio praestantior, gloria virtutis, rerumque gestarum, cui dedecori esse nefas et vitium judicabatur, flocci putatur; familiae multae fusae per alienas terras ac dispersae misere adeo vagantur, ut patrios lares se unquam posse recuperare desperent; cives ipsi patriae bellum inferunt, nec pacis studiosos conquiescere sinunt; omnis pietatis atque amicitiae sensus extinctus esse videtur; sanctiora instituta delentur, quique sive fe-

licitate quadam, sive bonitate naturae, sive parentum disciplina rectam vitae sibi delegerant viam ab humanarum rerum strepitu remotam, ad nova consilia revocantur, cum susceptum cursum tenere se non posse videant, quin in multorum incidant furorem atque insaniam. In tanta morum institutorumque mutatione nil aliud bonis relinquitur nisi fletus, et melioris vitae spes, postquam ex hac miserrima demigraverint. Quoties fortuna tamquam ipsa mortalis cum immortali natura pugnat, minus metu mortis perterremur, nosque reprehendimus, quod in praemiis humanis spem posuerimus rerum nostrarum, quod aliquid duxerimus istam hominum gloriam, quae pertinere vix ad temporis partem exiguam potest, nec satis suspexerimus caelum, ubi corporis laxati vinculis beati aevo sempiterno perfruamur. Haec est vera sapientia, hanc sequi, ad eamque omnia consilia, omnesque, quas gerimus, res referri decet, nihilque plus apud nos pollere debet, quam Dei immortalis voluntas atque judicium, qui id salutare maxime judicat, quod ad bonos in proposito

confirmandos, ad malos puniendos, et ad eos, qui sunt fracti et abjecti animi, corroborandos conducit. Si vetera memoria repetimus, facile quidem intelligemus vel in ipso ortu Christianae Religionis libuisse Deo per infortunia, et omnia malorum genera suorum constantiam et fidem probare, quae fere semper languebat in secundis rebus et in pacis diuturnitate. Quae inter tormenta et cruces animi excelsi atque invicti magnitudo ac robur! quae rerum humanarum despicentia! quae exempla vindicandae religionis ab impiorum conatibus! Si qui fuissent, qui mortem, qui dolorem, qui exilium, qui egestatem timuissent, quasi nova luce recreati, et admiratione eorum, qui anteire ceteros virtute putabantur, affecti, animo excelso magnoque quidquid tolerassent potius, quam in delectu majoris boni claudicare. Quem non contemnimus philosophum, cum ea legimus, quae Thomas Maria Mamachius litteris mandavit de veterum Christianorum moribus, ac virtutibus! Quis horum exemplis minime commovetur ad sanctiora instituta retinenda, et ad vitae rationem sic mo-

derandam, ut etiam si admoveantur dolorum faces, ne latum quidem unguem ab officio discedas? Haec dum litteris summus ille vir mandabat, fortasse praevidebat fore tempora, quibus hoc remedio ad mentes vel corroborandas, vel excitandas indigeremus, neque sane ulli labori pepercit, ut ex suis studiis, ac vigiliis fructus homines caperent amplissimos, solitus dicere contemnendos eos, qui nec sibi, nec alteri prosunt, et in quibus nulla industria est, ac nulla cura posteritatis. Quod vero ipse non viderit flagrantem crudelissimo bello Italiam, non exilium atque captivitatem Romani Pontificis, non fugam Senatus, non in omni genere deformatam eam civitatem, in qua ipse florentissima gloria praestitit, non alios horribiles miserosque casus, donatam illi potius mortem, quam ereptam vitam judicare debemus. Sed non vagabitur oratio mea longius, et quae de tanto viro historiae monumentis mandare decrevi, te judice, qui illo familiarissime usus es, aggrediar. Vale.

Pisis Kal. Sept. MDCCXCVIIII.

THOMAS MARIA MAMACHIUS

Dicturus de Thomae Mariae Mamachii doctrina, de genere vitae, de natura, de moribus, de incredibili amore in Romanos Pontifices, de studio conservandae salutis communis, et sanctioris christianae disciplinae, contendam, si modo consequi potero, ut omnes intelligant in his gravissimis tristissimisque catholicae Ecclesiae temporibus huic singulari Dei beneficio obtigisse hominem, qui afflictae subvenire et bonorum fletum solari posset. Sed non aggrediar ad illa maxima atque amplissima, priusquam docuero, quibus initiis ac fundamentis hae tantae summis in rebus laudes ex-

citatae fuerint. Natus ille in Maris Aegei insula, cui nomen Chios, domi sancte educatus, Dominicanorum familiae, cum complesset nondum XV. aetatis annum, adscribi petiit. Quod non satis praesidii sibi in patria esse intelligebat ad excolendas litteras, quarum amore flagrabat, illarum pene rudis Florentiam venit, et in Coenobio S. Marci rudimenta posuit. Florebant tum maxime eo in loco Augustinus Ursius, et Thomas Vincentius Monelia, quibus sic probatus fuit, ut utrique eorum carus maxime et jucundus esset. Tantos enim processus faciebat, ut non excurrere, sed evolare videretur. Iisdem ducibus an. MDCCXXXVIII. in publico proposuit, ac strenue propugnavit dissertationes binas, quarum altera est *de Oraculis Ethnicorum adversus Vandalen, altera de Cruce Constantini visa adversus Joannem Albertum Fabricium*, in quibus omne id collegit, quod vel severissimis disceptatoribus se probaturum confidit. Haec juvenilis doctrinae monumenta significare quidem potuerunt quidnam, cum se corroborasset, effectura esse videretur. Atque

illis temporibus iisdem munus suscepit publice in eodem Coenobio docendae philosophiae, in quo postquam per annum versatus est, paruit consiliis et auctoritati Ursii sui, qui pro eximia ejus doctrina auctus a Clemente XII. P. M. honestissima dignitate (Secretarium Congregationis Indicis dicunt) Romae habere concupivit Mamachium, non solum ut eo studiorum adjutore uteretur, ipsique vices suas committeret docendi philosophiam in Archigymnasio Romano, quod tum munus assignatum erat Secretariis illis, verum etiam ut in ampliori theatro ejusdem ingenium et doctrina spectarentur. Hunc in religionis sedem attulit animum, ut dignitatem, majestatem, potestatemque Romanorum Pontificum tueretur; quare cum tantum studii et temporis concederet philosophiae, quantum sui officii ratio postulabat, id sibi genus vitae degendae, et litterarum excolendarum constituit, quod maxime adamavit, quodque religioso homini magis convenire putavit. Studuit itaque excellere in eo, quod sibimetipsi judicio suo accommodavit, illam vero philosophi

personam, quam casus, vel tempus imposuit, sic gessit, ut multis de arte concederet. Nec contemnendam duxit elegantiam orationis, quam tantam vim habere intelligebat, ut nulla re magis allicerentur mentes hominum ad veritatem amplectendam. Itaque cum sibi ingredienti munus philosophiae magistri in Romano Lyceo dicendum fuisset de Leonis X. laudibus, sic extulit elegantiorum litterarum studia, ut omnes intellexerint se quoque in iis non mediocriter esse versatum. Graece quidem et Latine luculenter sciebat, et cum memoria teneret totum fere Plautum et Terentium, eorum elegantissimis dicendi modis saepe orationem suam ornabat. Aliquid etiam salis ab iis trahere potuit, quodque in congressione amicorum imitator et narrator facetus plurimum oblectabatur facetiarum quodam lepore, et in omni sermone omnibus affabilis et jucundus esse volebat, ea interdum ab illo audivisses, quae frigida judicasses, quanquam in omni dicto etiam atque etiam caveret, ne plus scenici, quam ipse, viderentur habuisse prudentiae. Maxime

enim interest in factis dictisque videre quid sit ordo, quid deceat, qui sit modus. Homo et ad orationis, et ad vitae societatem factus libentissime se cum iis congregabat, quorum nota esset integritas, et in studiis litterarum proficiendi cupiditas, quibus cum fores cubiculi sui nunquam clauderet, efficiebat, ut qui illud frequentarent, opinioni hominum plurimum se commendatos esse putarent. Per totos viginti sex annos mos illi fuit tertio quoque die hujusmodi coetus habere, ex quibus nemo nisi doctior discedebat. Si qui vero fuissent, qui desiderio laborarent scriptis memoriam suorum posteris prodendi, auxiliis illos suis et copiis adjuvabat, et ipsis sedes, et tanquam domicilia omnium argumentorum commonstrabat. Cum jam multos codices implevisset earum rerum copia, quas ex continua illustrium scriptorum lectione collegerat, ex his pauca excerpsit, quae pertinebant ad Constantiensis, Basileensis, et Florentini Conciliorum historiam, ex quibus confici posse videbatur in illa Latinorum Graecorumque Patrum consensione, contra ac

sentiebant ii, qui Constantiae, & Basileae convenerant, definitum ac declaratum dogma fuisse, Apostolicam Sedem in universum christianum orbem potestatem exercere, ac Romanum Pontificem totius Ecclesiae caput esse, & omnium Christianorum Patrem & Doctorem, eique ad pascendam, regendam & gubernandam Christianam Rempublicam amplissimam a Christo traditam facultatem fuisse. Locum his dedit Ursius II in Volumine operis, quod *de Romani Pontificis in Synodos Oecumenicas potestate exaravit*, cujus voluminis praefationem Mamachius ipse conscripsit, universumque postea opus, usus Italica lingua, compendi fecit. Magni enim interesse putavit, ut vel ii, qui a theologia minus erant instructi, cognoscerent, quam auctoritatem Deus dederat illis, quibus sacra, religionemque maxime commendaverat. Neque minus consulendum esse duxit illis, qui non solum in perspicientia veri solertiaque versantur, sed etiam in vita honeste & sancte agenda, qua re maxime societas hominum conjunctioque servatur, & in qua la-

bi; errare, nescire, decipi, & malum & turpe maxime putandum est. Quod in hoc genere multa & praeclara scripto mandaverat S Antoninus Florentinorum Archiepiscopus, vel antequam Romam accederet Mamachius, una cum Dionysio Remedellio collega suo eius opera moralia edenda illustrandaque susceperat. Nec sane mediocris laboris fuit ejusdem autographa consulere, omnem illius vitam explicare, & dissertationes plures conscribere, quae rationem dictorum redderent, & obscura optimo in lumine collocarent. Suo more diligenter & docte partes, quas sibi imposuerat, explevit Mamachius, ac magnum studium, multamque operam praesertim in eo adhibuit, ut quae testimonia sumpserat Antoninus ad eas, quas docebat, res confirmandas, suis veris Auctoribus redderet, omniaque officiorum, quae sunt Christiani hominis propria, ab eo tradita praecepta illustraret, & severioris disciplinae nota liberaret. Duabus constat partibus primum Volumen, quod Florentiae editum est an. MDCCXLII., secundum autem quinque &

decem post annos. Haec pergrata fuerunt Summo Pontifici Benedicto XIV., qui spem oblatam rerum amplissimarum, quae per Mamachium peragi poterant, haud negligendam putavit. Fuit enim semper in eo animus consulendi utilitati Catholicae Reipublicae & dignitati Urbis per homines doctrina praestantes, cum neque in honore conferendo, neque in gloria virtutis quidquam videret altius, quam majorum sanctissima instituta servare, & obviam ire hominum audacissimorum sceleratis & nefariis conatibus, qui si non ad illa prorsus delenda, ad infirmanda quidem & commutanda conspirasse videbantur. Itaque quo magis Mamachium obstrictum haberet, munus illi assignavit docendae philosophiae in Collegio, quod dicunt Propagandae Fidei, quod munus auspicatus est Latina oratione, quae an. MDCCXLIV. typis impressa fuit cum hoc titulo: *Oratio de ratione tradendae philosophiae designatis orthodoxae Religionis propagatoribus habita in Collegio Urbano de Propaganda Fide XVI. Kal. Decembris MDCCLXIII.* Nam cum philosophia

virtutis contineat & officii & bene vivendi disciplinam, scite probavit Mamachius injuriam illi facere videri, qui ipsam avocant a conjunctione divinarum litterarum, quibus famulari debet. Eodem tempore mandatum habuit a Pontifice colligendi illustrandique epistolas Innocentii III. vindicandique famam Innocentii XI. ab improborum calumniis, qui si in accusatione sua violassent sanctissimi Pontificis studium pro tuenda Ecclesiae libertate incolumitateque adversus Gallorum conatus, aliquid se de hujus auctoritate posse detrahere sperabant. Sic probavit Mamachius rationem factorum illius constantiamque officii, ut illam ipsam personam & vehementem & acrem, quam ei res, tempus atque Respublica imposuere, nec temere, nec inconsulto ab ipso susceptam fuisse omnes intellecturi essent, ita ut quem boni fortem & constantem semper existimaverint, eumdem nec improbi quidem inimicum Gallorum nomini jure dicere potuerint. Minime haec in vulgus edidit, quanquam de edendis a nonnullis sollicitaretur. Idem dicito de iis, quae ad

illustranda Dionysii, ut vulgo creditur, Areopagitae opera, atque ad explicandam patriae suae Chios historiam litteris mandaverat, in quae multam & diligentem operam ipsum contulisse testis est Joannes Lamius. Nihil enim suscipiebat, quod non speraret a se posse ita tractari, ut incognita & nova multa proferret. Interea praeter optatum suum, verum ex voluntate, praefectura Casanattensis Bibliothecae, & magisterio, quod magni a Dominicanis putatur, decoratus fuit. Multi saepe honores justi habiti sunt, ac debiti, sed nunquam justiores. Tanta enim vis erat ingenii in Mamachio, tanta eruditionis & doctrinae copia, ut in principibus suae familiae numeraretur. Nulli vero solitus denegare operam suam, adjumento fuit Ricchinio ad edenda opera Monetae adversus Cattaros, & vel judiciales caussas, quae tum Romae vehementissime agitabantur, scriptis suis defendendas suscepit. Hujusmodi sunt: *SS. Dom. N. Papae Benedicti XIV. Spirensis praetensae exemptionis pro Promotore Fiscali Curiae Episcopalis Spirae: In vindicias Di-*

Diplomatum Odenhei Mensium exercitatio, qua omnem rem, cum ei respondendum fuisset prioris scripti oppugnatori, confecisse videtur; ac demum *de diplomatibus Populetanis pro Monachis Sancto-Cruciensibus*. Cum se plurimum exercuisset in inquirendis perpendendisque antiquitatis monumentis, & judicio acri polleret, facile illi erat sincera a commentitiis secernere, & tantum cuique tribuere, quantum ratio & veritas postulabat; quo in genere studiorum cum multi clari viri versari soleant, inter horum laudes aliquid quoque loci Mamachii gloriae esse contendam. Praeclarum sane hujus doctrinae testimonium dedit in ea, quam cum Jo. Dominico Mansio e Familia Religiosorum, qui a Dei Matre nomen sumpserunt, habuit controversia. Nam hic emissa an. MDCCXLVI. dissertatione *de Epochis Conciliorum Sardicensium*, tantum tribuebat scripto cuidam, quod Scipio Maffejus ex tabulario Canonicorum Veronensium exscripserat, vulgaveratque in III. Volumine *Observationum Litterariarum*, ut triennio citius, quam vulgo putabatur, hoc est anno

CCCXLIV. habitum fuisse Sardicense Concilium assereret. Haec si tenuissent, magna inde confusio extitisset in notandis temporibus, quae ad Sanctorum Antonii & Athanasii, & ad universam Saeculi IV. historiam pertinent. Rem hanc Mamachio ad severioris critices regulas perpendenti, multa occurrerunt, ex quibus inferri posse putavit, scripto illi, utpote informi nullaque auctoritate fulto, fidem haud praebendam esse, iisque locum dedit in Litteratorum Ephemeridibus, quae tum a typographis Pallеariniis Romae vulgabantur. Aegrius haec tulit Mansius quam par erat veritatis inquisitori, liberaque oratione opinionem suam defendit adversus Ephemeridum scriptores. Tum Mamachius, qui antea latuerat, suis viribus & bonitate caussae confisus, in apertam dimicationem venire minime dubitavit, editis Romae an. MDCCXLIV. epistolis quatuor, quibus omnia illa diluit, quae ab adversario suo contra dici potuerant, & multa protulit, quae non solum ad Sardicense, sed etiam ad Romanum, Mediolanense, & Antiochena Concilia per-

tinebant, omnia auctoritatibus & argumentationibus firmissimis comprobans, ut finis aliquando hujus concertationis constitueretur. Nihilo tamen minus victus non cessit Mansius, & quasi, dum vivebat, noluisset sibi extorqueri errorem suum, librum edidit, qui inscribitur: *Pro sua de anno habiti Concilii Sardicensis sententia ad virum clariss. Fr. Thom. Mamach. Casanatens. Bibliothecae Praefectum*. Minime tulit Mamachius tantam obstinationem sententiae, quare binas ad Angelum Mariam Bandinium dedit Italicas epistolas, quibus non solum erroris, sed etiam levitatis adversarium suum convicit. Nihil ad has respondit Mansius, nec sane dubito quin plurimum ipsum commoverint ad manum tollendam maximi plausus, quos docti omnes Mamachii scriptis impertivere. Porro si hic sibi assumebat, quod est Theologi proprium, ut de omni re accurate & docte disputare posset, cujus certa in sanctorum Patrum scriptis, in Conciliorum actis, reliquisque antiquitatis reliquiis monumenta extant, videbatur id suo jure quodammodo vindicare. Cum

autem latissime patere videret ea, quae ad mores, consuetudines, institutionesque veterum Christianorum, omnemque antiquitatem Christianam pertinent, de his scribere instituit, &, quod sane miraberis, paucorum annorum spatio quinque usque volumina operis, quo nullum gloriosius confecisse videtur, emisit, cujus haec est inscriptio: *Originum & antiquitatum Christianarum libri XX.* Longum esset enumerare quot e nostratibus & alienigenis, e catholicis & haereticis operam posuerint in explicandis illustrandisque Christianis antiquitatibus, quorum labores etsi laude dignissimos putaverit Mamachius, confidit tamen rerum copia & delectu, & diligenti animadversione earum, quae minus vere dictae fuerant, se illos posse superare. Exorsus est opus a nominibus, quae vel laudi, vel contumeliae dabantur Christianis; disserit deinde de ortu & progressu prorsus mirabili Christianae Religionis, deque caussis & auctoribus tanti boni; longe lateque peregrinatur in secundo volumine, ut probet nullam fuisse regionem tam re-

motam ac barbaram, quae Evangelii lumen minime prospexerit. Huic sacrae, ut ita dicam, geographiae parergon adjecit, quo multis allatis argumentis & testimoniis confecit, primo saeculo nonnullos, altero multo plures, tertio autem quamplurimos in Ecclesia floruisse, qui antiquitate generis, honoribus, opibusque clari & insignes erant, & Christianorum, qui tertio secundoque saeculis plures, qui autem primo vix paucos, qui Apostolorum denique aetate vixerunt, fere nullos fuisse, qui in doctrinis, decretisque philosophorum versati essent, quod sane insigne est veritatis Religionis Christianae argumentum. Divinitus constituta Christianorum republica, par erat dicere de eorum moribus institutisque, quae quod versabantur vel in Dei cultu, aut in omnium, quae fiebant, quaeque dicebantur, ordine & modo, in quo insunt modestia, patientia, mansuetudo, temperantia, ceteraeque leniores virtutes, aut in animi excelsi atque invicti magnitudine ac robore, aut in hominum societate tuenda, servandisque fidei, justitiae, & charitatis

officiis, de his rebus omnibus ita copiose, docte, & erudite disserit Mamachius in tertio volumine, cujus est tripartita divisio, ut in eo imaginem veteris sanctitatis, omnisque Christianae antiquitatis diceres intueri. Atque harum rerum sane utilissima cognitio ut ad omnes manaret, tribus voluminibus Italice exaratis & simplici oratione expressit mores pios, integros, religiosos, justos, perferentes injuriarum veterum Christianorum, quae qui legat, id unice praedicandum, id prae se ferendum existimabit, quod est cum virtute & cum ejus auctore conjunctum, cujus potiundi spe majores nostri inflammati multos labores, magnosque susceperunt. Sed ut ad illud majorum vigiliarum opus revertamur, ejus quartum volumen totum est de ratione administrandae Christianae Reipublicae, seu de Hierarchia Ecclesiastica, qui quidem locus latissime patet, & a viris doctissimis accurate copioseque tractatus est. Quanquam ex horum fontibus judicio arbitrioque suo, quantum, quoquo modo visum fuerit, plurima hauserit Mamachius, multa tamen

addidit de suo, ut omnes intelligerent, quis in Ecclesia universa primas jam usque ab ortu illius partes teneret, qui essent Patriarchae, qui Primates regionum quarumdam, qui Metropolitae, qui Exarchi, qui Episcopi, qui Archipresbyteri, Archidiaconi, Diaconi, qui Clerici ceteri, qui Monachi, qui denique populi, a quo institutae dignitates illae fuissent, quaque auctoritate, quibusque opibus valerent, qui celebrandorum conciliorum, ferendarumque legum potestatem haberent, sexcentaque hujusmodi alia, quorum est insignis cum iis, quos nominavi, conjunctio. Cum sibi explicandum esset in quinto Volumine de locis sacris, quo convenire solebant Christi fideles ad Deum precibus atque sacrificiis placandum, mens illi erat, non solum de Templis, eorumque partibus, sed de ritibus etiam & caerimoniis agere, in quibus majores nostri esse solebant diligentissimi. Plura restabant alia, de quibus se scripturum promiserat, de vasis, de vestibus, de imaginibus, de organis, reliquisque musicis instrumentis, deque aeris sonantibus, de sacris conventi-

bus, de jejuniis festisque diebus, de sacramentis, deque ritibus in iis administrandis, ac demum de coemeteriis, sepulcris, ac funebribus caerimoniis, quae ut persequeretur audivit quidem homines amicissime monentes, sed ipse caussam ex caussa nectebat. quare minime festinaret absolvere opus, quod avidissime ab omnibus expectabatur. Nihil enim est in originibus & antiquitatibus Christianorum, nihil in veteri Ecclesiae disciplina, quod ad illa, quae indicavi, capita commode referri non posse existimaverit Mamachius, & de quo copiosissime se dicturum minime spoponderit. Ex iis, quae vulgavit, quae reliqua futura essent quivis facile judicare poterat, & nulli sane labori pepercit, ut opus suum non solum omni eruditionis genere ornaret, sed etiam figuris earum rerum, quarum monumenta ad nos usque pervenerunt. Quare si qui fuerunt, qui aliquid de ipso detrahere adlaboraverint, invidiae culpam minime effugerunt. Habes ad ea, quae objecit Jesuita Franciscus Maria Zacharia, Mamachii ipsius responsa, cujus oratio si paullo fervidior

tibi videbitur, censoris iniquitati tribues (*). Erat profecto Mamachius ex illo maxime raro hominum genere, qui ad excellentem ingenii magnitudinem singularem adjungunt industriam, quare quidquid ab illo petiisses re praestabat, nec paucis contentus esse poterat. Nam in omni, quae ei proponebatur, quaestione, adeo multa occurrebant, ut ipsi tam facile esset volumen conficere, quam ceteris verbosiorem epistolam scribere; cumque minime vereretur ipsa rerum copia fatigare lectorem, injuria fortasse questus est extitisse nonnullos, qui ei aliquando objicerent Graecum illud proverbium, το μεγα βιβλιον το μεγα κακον (**). Eodem tempore, quo elaborabat in scribendis Christianis Antiquitatibus, multa suppeditavit

(*) *In extremo Volumine III. operis, quod inscribitur* de' costumi dei primitivi Cristiani, *caput extat, quo Mamachius sua ab oppugnatoribus defendit.*

(**) Novelle Letterarie di Firenze Tom. XXVIII. pag. 425.

Romanarum Ephemeridum scriptoribus; minime denegavit operam suam Cardinalibus, aliisque dignitate amplissimis viris, quotiescumque de rebus sacris & religiosis ferre judicia debebant; historiam exaravit Francisci Gil, & Matthiae Alphonsi Lezinianae illustrium Dominicanorum, qui in America pro Christi fide vitam profuderunt; & mandatum accepit a Bremondio, qui universae Dominicanae familiae praefecturam gerebat, hujus annales ab ipsius ortu conscribendi, cum sibi adjutores assumpsisset Franciscum Mariam Polidorium, Vincentium Mariam Badettum, & Hermannum Benedictum Christianopolum. Ex iis, quae eleganter copioseque collegerunt insignes hi viri ab ortu S. Dominici ad ejus usque obitum, qui accidit an. MCCXXI. quinquennio posteaquam Summus Pontifex institutam ab eo familiam approbaverat, componitur primum operis Volumen, quod an. MDCCLVI. vulgatum est. Atque hic constitit omnis eorum labor; nam, mortuo Bremondio, qui consiliis & opera rem adjuverat, adversa quaedam acciderunt, ob quae illa volunta-

tum & studiorum consensio divulsa est. Vel antea Mamachius itinera per Italiam susceperat conquirendi caussa monumenta, dumque Florentiae fuit, dedit operam, ut secundum S. Antonini Operum volumen ederetur, quod praefatione & commentariis ornavit. Debere hoc suae familiae, e qua prodierat vir ille sanctitate & doctrina clarissimus, putavit, neque minus de illa bene meritus est, cum a calumniis quorumdam vindicasset S. Thomam Aquinatem, qui contendebant ex ejus sententia licere tyrannum occidere. Fortasse majorem curam & operam ab eo susceptam fuisse dixisses, quam caussa postulabat, adeo multa scripto mandavit, quae tamen minime emisit. Sed quia verebatur ne hisce calamitosissimis temporibus immoderata libertas & cupiditatum licentia eo procederet, ut omnem respueret potestatem atque dominatum, negotium reipublicae se agere putavit, si omnia ea argumenta conquisivisset, quae rectos doctoris sui & magistri sensus explicarent, & regalem potestatem ab impiorum conatibus liberarent. Porro

non minus est proprium Principum munus intelligere se gerere personam civitatis, debereque ejus dignitatem & decus sustinere, servare leges, jura describere, & ea fidei suae commissa meminisse, quam subditorum populorum ea velle & sentire, quae tranquilla & honesta sunt, quorum in numero sapientissimum doctorem, qui sane optime perspiciebat quid a naturali & divino jure statutum esset, occisionem tyranni collocasse minime credibile videtur. Dumque is Tarquinii & Domitiani exempla posuit, & quae jure gentium praescripta sunt investigavit, innuere quidem videtur esse posse quaedam Imperiorum genera, in quibus ex pacto & convento malum principem liceat interdum potestate, numquam vero vita privare (*). Quidquid erat quacumque

(*) *Profecto nihil reliqui sibi fecit Mamachius, ut Aquinatem suum omni suspicione minus rectae doctrinae liberaret, quaeque scripto mandavit, quia minime lucem adspexerunt, multis verbis exposuit ejus collega Fabricius eo in libro, qui*

ex arte, & quocumque de genere, pro quo pugnandum sibi esse putaret Mamachius, potiundi spe inflammatus in illud toto animo incumbebat, & tamquam in possessionem suam venerit vel in ipso forensi genere dicendi contentiones aliorum sermone vincebat. Quanta verborum & rerum copia defendit jura Dominicanorum suorum, qui erant in Philippinis Insulis adversus Augustinianos, qua de controversia cum ferendum judicium Romae esset, omnes ad unum judices Mamachio assenserunt! Illa gloriosior etiam, si eam in vulgus edidisset, fuisset defensio, quam pro Epistola Encyclica Benedicti XIV. ad Episcopos Galliarum adversus anonymum ejus oppugnatorem suscepit. Sapientissimus enim Pontifex ille in gravissimis Ecclesiae Gallicanae dissensio-

---

inscribitur: Dictionaire universel, dogmatique, canonique, historique, geographique & chronologique des Sciences Ecclesiastiques par les RR. PP. Richard & Giraud Dominicains &c. A Paris 1765. Tom. V. in fol.

nibus *Unigenitus* constitutionis caussa declaraverat, quinam eidem constitutioni refragari dicendi essent, quibusque denegare Ecclesiae sacramenta fas esset, cum minime oporteret rem hanc levibus conjecturis judicare. Eo impudentiae processerat Anonymus ille, ut, libello edito, affirmare minime dubitaverit, epistolam illam continere *assertiones respective falsas, temerarias, scandalosas, multimode injuriosas, contumeliosas, impudentes, captiosas, seditiosas, & schismati faventes*. Hujus audaciam & inscitiam coarguit quoque Jo. Vincentius Patuzzius ex eadem Dominicanorum familia, cujus scripto tantum tribuit Mamachius, ut de suo edendo cogitationem abjecerit. Rectum autem erat, ut in hac contentione, quae cum inimicissimo fiebat, qui indigna sapientissimo Pontifice effutiverat, acerbitatis plurimum haberet objurgatio, quod facile a Mamachio obtinuisses natura acri, vehementi, minimeque perferente injuriarum, praesertim cum suam caussam cum Religionis bono conjunctam esse existimabat. Nihilo tamen minus providendum est

sapientibus hominibus, ne ira, aut cupiditas aliqua appareat in eorum sermonibus & scriptis, neve indicent vitium aliquod inesse eorum moribus, quod maxime evenire solet, cum studiose de absentibus detrahendi caussa aut per ridiculum, aut severe, & maledice contumelioseque dicitur. Danda est etiam opera, ut etiam si aberrare ad alia coeperit, ad sua revocetur oratio, & ut incipiendi ratio fuerit, ita sit desinendi modus, quae idcirco a me dici judicabis, ut intelligas, in quae interdum vitia inciderit Mamachius. Bina, magnae sane molis, usque volumina conscripsit *de animabus Justorum in sinu Abrahae ante Christi mortem expertibus beatae visionis*, omnemque severitatem adhibuit, ut coargueret Joannem Cadonicum Cremonensem Canonicum, qui contraria huic sententiae, usus S. Augustini, aliorumque Ecclesiae Patrum testimoniis, in medium protulerat, velis remisque contendens nullo tempore sanctissimos viros beatitudine illa caruisse. Ut probaret. Mamachius quantum haec Traditioni, quemadmodum Theologi lo-

quuntur, adversarentur, omnes fere catholici orbis Ecclesias peragravit, ex iis testimonia & monumenta colligens, quibus id, quod intendebat, confirmare, & id, quod contra diceretur, refellere posset. Et credibile quidem est illum ferocius caussae suae confidisse, cum universum orbem huic suffragari videret. Principio mens illi fuit hanc disputationem in IV. Antiquitatum Christianarum volumen referre, sed excrevit adeo operis magnitudo, ut de illo separatim edendo consilium ceperit, quod praestitum ab ipso est an. MDCCLXVI. Atque is, cujus studia vitaque omnis in rerum divinarum cognitione versata est, si qua res paullo major accidebat, de qua exquirendum Romae esset Theologorum judicium, nunquam non consulebatur, perinde ac si in ejus sententia omnes acquieturi essent. Multa litteris mandavit, ut probaret censoria notatione dignum esse Mezenquii catechismum; retulit ad Pontificem quanti ponderis essent caussae, quas e Regibus nonnulli afferebant, ut ab eo obtinerent vel commutationem, vel extinctionem instituti

tuti Societatis Jesu, ac demum, ne omnia minima persequar, cum Hispaniarum Regis rogatu vehementissime ageretur de honoribus Beatorum tribuendis Joanni Palafoxio Angelopolitano primum, mox Oxomensi Episcopo, jussus est liberare ejusdem orthodoxiam a calumniis eorum, qui sanctissimum Antistitem, cujus laudum extabant insignia monumenta in America, in Hispania & in universa pene Christiana Republica, Refractarium, Jansenianum, Quietistam, & si quid pejus est, impudentissime nominabant. Tribus voluminibus doctis saepe & laboriosis complexus est hanc defensionem, & quanquam, quod ei objectum fuit, lepore magis elevandum, quam contentione frangendum videretur, tanta tamen gravitate & copia omnia ejusdem, quae extabant scripta (& epistolae praesertim nescio cui Pastorali, ut ajunt, Jansenismi nota inurebatur) ad severioris theologiae dogmata expendit, ut odio digni ii judicandi essent, qui tragoedias hujusmodi partium studio movebant. Minime Jesuitae sine offensione acceperunt, quae edidit Mamachius,

quod constare inter omnes necesse erat male ab iis habitum fuisse Palafoxium, dum in vita fuit. Ac si jam caussa aliqua ad illum deferebatur, remotis ceteris studiis, in hoc uno opere, ut ita dicam, dies ac noctes urgebatur, perficiebatque, ut nemo eruditius, nemo copiosius eo locutus putaretur. Omnia legebat, omnia audiebat, & cum teneret historiam, prudentiam juris publici, & antiquitatis iter, & exemplorum copiam, & cetera, quae collegerat ex variis & diversis studiis, in promptu haberet, facile poterat de omni re proposita copiosissime dicere. Cum vero utebatur sua illa mirifica ad refellendum consuetudine, qua illi nemo unquam praestitit, Graecorum more, vel ea conquirebat, quae redundabant, ne parum multa scisse videretur. Id praesertim intelliges ex opere, quo libertatem & jura Ecclesiae defendit in acquirendis retinendisque bonis tum mobilibus, quemadmodum Jurisconsulti loquuntur, tum immobilibus. Hujus libertatis fines, Mamachium si audis, tam late patent, ut nullis circumscribantur terminis, & contra divina

& humana jura ii facere videantur, qui illi impedimenta afferunt. Quia non dubitabat fore multos hujus suae sententiae acerrimos oppugnatores (& multi sane fuerunt, qui & dictis (*) & factis invidiam illi conflare adlaborarunt) non modo ea conquisivit, quae sunt consignata sacrae antiquitatis monumentis, quaeque legibus praescripta fuerunt a rerum publicarum Rectoribus, sed etiam quae praecipi solent ab iis, qui se tradere profitentur, quid publicae utilitati in administrandis fortunae bonis magis conducat. Quinque usque volumina huic de jure libero operi (sic enim inscribitur) tribuit, in quo contexendo maximos se sustinuisse la-

(*) *Cetera inter editus libellus fuit, qui inscribitur:* Mamachiana per chi vuol divertirsi: Gelopoli 1770. *Tum soluta, tum vincta numeris Italica oratione omnique contumeliarum genere, salse sane & ridicule, laceratur Mamachius, quod eas renovaverit sententias, quae do tiorum virorum consensu explosae jam esse videbantur.*

bores affirmare solebat, cuique caussam dedisse videntur scripta quaedam an. MDCCLXVI. edita Venetiis, magnoque plausu excepta a regalis potestatis studiosis. Si modum aliquem orationi suae posuisset Mamachius, neque eo rem deduxisset, ut ea, quae civilis ratio suadet, ne immoderata sit bonorum acquirendorum cupiditas atque licentia, nullius momenti putasset, & famae eorum pepercisset, qui cum viderent fore, ut magna pars bonorum caderet in paucorum potestatem, qui nunquam mori dicuntur, Principibus fas esse docuerunt pro utilitate Reipublicae modum quemdam & ordinem praescribere, melius quidem caussae suae consuluisset. Sed quoniam is videbat in ea nos devenisse calamitosissima tempora, quibus acquisitis jam fortunis spoliari gravius Ecclesiae fuisset, quam non augeri novis, ita sibi dilatandum argumentum putavit, ut vehementius, quam caussa postulabat, instans & urgens, minime dubitaverit eam sequi sententiam, quae neque amicos parabat, neque inimicos tollebat. Extitit Jesuitarum unus, vir sane doctus, qui

ex ingenti immensoque campo (nam Mamachius tam longe, tam alte repetiit orationem suam, ut vel ab Adam & Noe jus illud suum liberum manare contenderit) in exiguum gyrum compulit omnem hanc disputationem, paucis docens quid recte factum, aut ex lege, aut non contra legem, quid culpa, aut injuria, quid necessario, quid utiliter, quid licere Regibus, quid non, dicendum sit. Quod consilium hominis fuerit, qui aversissimo semper a Mamachio fuerat animo, facile intellectum est. Volebat enim illum monere non satis vidisse quatenus, & aberrasse ab eo, de quo quaerendum esse videbatur. Nihilo tamen minus ille idem ardor urgebat, & manebat, ut in quos incidisset adversarios, quamplurimis posset onerare argumentis, addam etiam objurgationibus, si ipsos minus recta de Religione sentire judicasset. Qui locus ab eo praetermissus est in Justinum Febronium? Sane nullam Mamachio justiorem caussam fuisse puto, ut jure concitatus videretur in catholicum Episcopum, qui non sine dolore maximo omnium bonorum quin-

que editis voluminibus (*) *de statu Ecclesiae*, specie conciliandae concordiae Catholicos inter & Haereticos, bellicum cecinisse videbatur ad ipsam Ecclesiam omni potestate spoliandam, & turbas, rixasque in ea concitandas. Itaque Mamachius non modo christianae, sed & civili rei se satisfacere posse putavit, si illum oppugnasset, in arce legis & rationis praesidia defensionis suae constituens. Quatuor igitur texuit epistolas ad ipsum personatum Febronium (nam inter omnes constabat sub eo nomine latere Hontehim Episcopum Myriophitanum Trevirorum Antistitis Suffraganeum) elegantia & munditia Latinae orationis, quam

---

(*) *Qui penitus noverunt Febronium testati mihi sunt ingenium & doctrinam illi defuisse (prima fronte idiotam fere ipsum dixisses) ad hujusmodi opus exarandum. Ea propter multorum opinio fuit illud ex officina prodiisse cujusdam presbyteri & canonici, qui in ejus familia erat, cognomine Neller, & in quo non minus vultus deformitatem, quam peracre ingenium statim vidisses.*

prorsus desiderasses in illo Germano scriptore, exornatas, quibus accurate & subtiliter exposuit, quid sit Ecclesia, quae illius gubernandae & regendae a Christo instituta ratio fuerit, quam late pateat, quae divinitus tradita ipsius Rectoribus, ac praesertim Romano Pontifici potestas fuerit, quemadmodum huic Catholici omnes conjuncti esse debeant, quas ipse partes teneat in re Christiana administranda, sive Ecclesia sparsa sit, sive in concilium convocata, quae sint jura hujus, qui munere fungantur ferendarum legum, & qua ratione schismata, siqua sint orta, tolli debeant. Necesse quoque fuit Mamachio Romanae aulae administros, quos avaritiae nomine notaverat Febronius, quasi Romae omnia venalia essent, defendere, nihilque praetermisit, ut probaret scriptores illos, quos idem praesidio sibi fore maximo existimaverat (de haereticis, ut de Pufendorfio, aliisque hujus furfuris non loquor, quod eorum errores omnium Catholicorum consensu jam damnati fuere) ejus opinionibus prorsus adversari. Inde materiem sumpsit disputan-

di de capitibus illis, quae Clerus Gallicanus suis in comitiis habitis an. MDCLXXXII. quaeque pertinere videbantur ad minuendam Pontificiam majestatem, nullum adversario locum relinquens, in quo ipse tuto stare potuisset. Nihilo tamen minus is linguam minime compressit, dumque quaesivit quae iis epistolis responderet, novis se implicavit erroribus. Hos palam fecit, suaque defendit Mamachius eo in prologo, quem ad Josephum Rospiliosium Zagaroli Ducem misit, cui binas alias ad Febronium litteras addidit, ex quibus omnis argumentatio ad omnem disputationem de S. Sedis majestate, & universalis, ut ajunt, Ecclesiae regimine invenitur. Tanquam intentum arcum in unum Febronium haberet, mens erat Mamachio, ut ei omnem spem defensionis, & ignominiae declinandae praecideret, pugnam iterare, sed haec sedata est, postquam Febronius ipse errata sua agnovit, confessus est, & palam improbavit, in qua gloriosa victoria sane licuit Mamachio exultare, qui omnia sua studia, omnesque suos labores ad utilitatem Christia-

nae reipublicae referenda semper putavit. Laus etiam non mediocris in hac concertatione danda est Jesuitae Antonio Mariae Zachariae, qui operosis quidem scriptis clarissimum lumen praetulit Febronio, ne diutius in tantis tenebris erroris & inscitiae versaretur. Atque horum libros cum leges, audies quidem homines liberalissimis studiis affluentes, & omni divina doctrina eruditos, qui, adhibita etiam disserendi elegantia, ratione & via philosophantur, sed nescio quid robustius, vehementius, addam etiam elegantius in Mamachio agnosces. Huic in omni scriptione propositum fuit, ut utilitatem elegantia quaedam consequeretur, quemadmodum boni architecti faciunt, qui non solum salutis, sed etiam voluptatis caussa multa invenerunt: columnae & templa & porticus sustinent, tamen non plus utilitatis, quam dignitatis habere debent, quare praeclare dictum a Cicerone videtur, quod etiam si in Capitolii fastigio habita ratio fuerit, quemadmodum ex utraque parte tecti aqua dilaberetur, utilitatem templi fastigii dignitatem conse-

cutam adeo fuisse, ut etiam si in caelo Capitolium statueretur, ubi imber esse non posset, nullam sine fastigio dignitatem habitura fuisse videatur. Quid est aliud caussae, ajebat Mamachius, cur multi libri divina & civili doctrina referti legi desierint, nisi quia omnis elegantiae sunt expertes? quare si id adlaboramus, ut, quod studemus, facere possimus ornatius, jure laudamur atque gloriamur. Tantum hominis ingeniosi ac memoris exercitatio valuit, ut res atque sententiae vi sua parere verba gravia, plena, sonantia, ac prorsus Latina videantur. Saepe ei erat in more interrogando urgere adversarium suum, & rursus quasi ad interrogata sibi ipse respondere, quod si ita efficies, ne fluat oratio, ne vagetur, ne excurrat longius, ut membris distinguatur, ut conversiones habeat absolutas, in concertatorio dicendi genere plurimum utilitatis & laudis habere potest. Non semper enim utendum est perpetuitate verborum, & saepe carpenda membris minutioribus oratio est, quae tamen ipsa membra, sicuti praecepit Cicero omnis eloquen-

tiae auctor locupletissimus, sunt numeris vincienda, & varianda etiam, ne aurium satietate fastidio similitudinis repudientur. Quod vero commoratio in una re, & ad illustrandum id, quod exponitur, & ad amplificandum plurimum valere putatur, & objurgatio, erroris inductio, anteoccupatio, interpellatio, contentio, tanquam armorum comminatio, & quasi petitio voce quadam libera, atque etiam effrenatiore magnum ornamentum orationi afferre possunt, haec atque horum similia consectabatur Mamachius, cui natura dederat, ut quae vehementer, acriter, animoseque fiunt, & libentissime susciperet, & fortissime gereret. In tanta morum corruptela & scriptorum licentia sane deesse minime poterat Mamachio scribendi materies, dumque varia animo volvebat, ecce an. MDCCLXXXVII. in lucem prodiit Vindobonae libellus, cujus haec erat inscriptio: *Quid est Papa?* cujusque auctor fuerat Germanus quidam cognomine Eybel. Non ferendam hujus audaciam impietatemque putavit Mamachius, & quanquam ex ceteris operibus suis satis multa

depromi potuissent, quae ejusdem errata corrigerent, & Pontificiam majestatem a libidinum impetu vindicarent, suae tamen fidei, & religionis duxit, quae semper in eo eximiae & praestantes fuerunt, vi quadam extorquere arma e manibus iratorum hominum, qui earum rerum rudes; quae sunt traditae divinis litteris, arcem ex cloaca se facere posse sperabant. Bina itaque an. MDCCLXXXVII. vulgavit Romae volumina Pisti Alethini nomine (*), quorum omnis argumentatio in eo est, ut probet in summo errore, & in maximarum rerum ignoratione eos versari, qui affirmant Primatum Apostoli Petri sua opera esse sublatum, dejectum de gradu Romanum Pontificem, factumque cuivis Episcopo omnino parem, eoque demum adductum, ut quidquid ubique terrarum jam usque a primis

(*) Pisti Alethini epistolarum ad Auctorem Anonymum opusculi inscripti: Quid est Papa? Vol. II. 1787. in 8.

Christianae societatis temporibus potestatis; auctoritatisque obtinuit, id non divino munere, sed Ecclesiae beneficio consecutus videatur. Quoniam vero adeo natura malevolus erat Scriptor ille, ut testimonia multa corruperit, quaedam mutila & quasi decurtata attulerit, & per summam fraudem & malitiam falsa objecerit, utile putavit Mamachius, quo unica nequitia ab omnibus cognosceretur (saepe enim fit, ut minus cauti versutos homines & callidos admirantes, eorum malitiam, sapientiam judicent) omnia illius verba sic expendere, ut nihil illum habere sui ostenderit, nisi animi impotentis effrenationem. Hac raptus est, tum cum sparsus est rumor, Pium VI. Catholicae reipublicae caussa iter in Germaniam suscepturum; praevidebat enim fore, ut cives orthodoxi sui, ubi summum Christi Vicarium conspexissent, egregia exempla edituri essent suae in ipsum, inque Petri Cathedram pietatis atque obsequii, a quo, ut eos averteret, libellum illum suum Germanica lingua exaratum emisit. Nihilo tamen minus nullus locus fuit, in quo non

extarent hujus pietatis vestigia impressa, ut pudentes impudentem fraudasse dicantur. Ne sine corollario opus suum vulgaret Mamachius, retulit in ipsum tum Germani scriptoris libellum a se Latine factum, tum Pontificis litteras docte & satis eleganter a Gerdilio Cardinali exaratas, quibus is damnatus est. Magnorum operum confectori ludum fuisse dixeris obtemperandi gratia jussis Clementis XIII. vitam Gregorii Barbadici Cardinalis & Patavinorum Episcopi sic explicare, ut ejus praeclare res gestas ad cujusque virtutis genus, & vim, & nomen accommodaverit, *deque Episcopatus Hortani antiquitate ad Hortanos cives librum singularem* exarare. Erudite quidem & polite, ut solebat, ea exposuit omnia, quae probare posse putabat Hortanam Ecclesiam antiquitate & dignitate superare Civitonicam sive Castellanensem, qua de re tum apud Romanos judices disceptabatur, quodque vehementer Hortanis intererat nullam in ejusmodi caussa dissensionem esse, facile obtinuerunt a Mamachio, ut quatuor usque opusculis, quae pro se Civitonici in me-

dium protulerunt, oppugnaret. Ante eum scripserat Justus Fontaninius de Hortanis antiquitatibus, cujus opus sic extulit Mamachius, ut suum mantissae loco habendum dixerit. Sed admonendi sunt antiquitatis studiosi, calliditate interdum magis, quam veritate illam caussam a Mamachio fuisse defensam, cujus haec fuit semper consuetudo, ut in omni contentione rebus non modo veris, sed etiam adumbratis locum daret. Adde, quod semper augebat id, quod is ad cujus voluntatem dicebat, volebat esse magnum, quamobrem quamvis blanda ista vanitas apud eos valeat, qui ipsi illam allectant atque invitant, graviores tamen prudentioresque, qui omnia veritate metiuntur, ipsam indignanter respuunt, ne minus cauti callida assentatione capiantur. Id si novisset, multorum in odium offensionemque minime incurrisset, neque doluisset se male habitum fuisse vel ab iis, quorum moderatio, & modestia eminebat. Cui rei exemplo esse possunt, quae pro sui defensione exaravit Hieronymus Tiraboschius, in cujus litteraria historia multa se invenisse

reprehensione dignissima confidenter nimium affirmavit Mamachius. Sic illa diluit Tiraboschius, ut, dum admirari ingenium & nimium acumen & studium in rem Catholicam adversarii se dixit, lepide sane & ironice ipsius auctoritati illuserit. Postremo tempore *de primitivis Episcoporum juribus* scribere ingressus est, & alia fortasse plura inchoaverat, ut eos, quorum sceleris furore violata erant sanctiora jura sanctioresque institutiones, quique non solum Religionis, sed etiam Reipublicae statum convulsuri videbantur, vocis libertate perstringeret. Sed nihil hujusmodi perfecit, postquam munerum, quae sustinuit, labore ejus vita distracta fuit. Nam anno MDCCLXXIX. factus est Congregationis, ut ajunt, Indicis Secretarius, & biennio post Sacri Palatii Magister. Ad id valetudine, qua semper usus fuerat optima, coepit tentari, quod maxime accidit, postquam medicorum consilio caesus ei ferro fuit tumor, quem in capite habebat. Ipsum si audivisses, ut ego quidem saepe audivi, querentem de temporum, in quae incidimus, infelicitate, non satis

satis laudari posse hominem judicasses; cujus verba non solum, sed oculi, frons, vultus denique totus, qui sermo quidam tacitus mentis est, prodebant sensus integerrimos, & singulare studium defendendi armis prudentiae caussas Catholicae Ecclesiae, & permanendi illius gratia in labore atque periculis. Non enim est credibile quot Pontificiae majestatis hostes, & Jansenistae praesertim ad illum perdendum, qui omnia summa jure sperare poterat, machinas adhibuerint. Cetera inter ajebant opiniones firmas & stabiles de theologicis quibusdam quaestionibus minime tenuisse; ipsum cupiditate honorum nimium servientem temporibus Jesuitis modo favisse, modo detraxisse; frustra requiri fidem atque constantiam a Graeco homine, & alia hujusmodi plura, quae referre pudet. In hoc suo, & quasi communi omnium bonorum malo (fuit enim hoc semper Jansenistarum vitium, ut de iis libenter detraherent, quos cupiditatibus suis adversari intelligebant) consolabatur se cum conscientia optimae mentis, tum etiam usurpatione & renova-

tione doctrinae. Vidi eum saepe vel in bibliotheca sedentem, vel rusticantem Corneti, aliisque in locis suburbanis, & vidi plane virum, magni laboris, multaeque operae vel dum otiabatur, non modo dictis, sed etiam factis religionis cultorem eximium, diligentem in obeundis instituti sui officiis, facilem (quanquam senectus nonnihil ejus mores immutasse videretur) humanum cum liberali gratificandi voluntate, moderatum in iis tuendis sententiis, de quibus ambigere solent Theologi, vehementem & acrem adversus eos, qui desciscebant a veritate, quos ut oppugnaret, mille se cupere ajebat manus habere, totidemque linguas ad inflammandos illorum animos, qui utilem Christianae Reipublicae praebere operam poterant, quod intelligebat omne malum nascens facile opprimi posse, inveteratum nunquam non fieri robustius. Heu miserrimum saeculum, exclamare solebat, quo tanta insania hominum mentes occupavit, ut novum & inauditum imperitorum genus, qui ne primoribus quidem labris gustarunt, & extremis, ut dicitur, digitis

attigerunt, quae sunt consignata divinis litteris, audeant de rebus religiosis disputare, sanctiora instituta irridere, eorumque libri omnium manibus terantur, & dicta efferantur! Homo, qui tot exceperat labores pro tuenda Sedis Apostolicae dignitate, quique consilium & fidem semper praestiterat singularem Romanis Pontificibus, ut non facile studiosiorem diligentioremque invenisses, jure quidem queri potuisset se praeteritum, aut non satis laudatum fuisse in Urbe, quae interdum desidiosos, atque dormientes ad amplissima munera devocat, qui nomen honoris, non honorem consecuti esse videntur. Sed si dignitas est bene sentire de Republica, & bonis viris probare, quod sentias, & libera oratione defendere, sane non video, qui hac gloria contendere cum Mamachio possit, de cujus meritis posteriorum verius erit judicium, invidia, obtrectatione, & malevolentia liberatum. Senescebat ille aliquid quotidie discens (nam nullum unquam illi tempus vacuum fuit vel a legendo, vel a scribendo, vel a commentando, si illos dies excipias, quibus

ruri aucupio, quo plurimum oblectabatur; vacare solebat) veneratque Cornetum vere an. MDCCXCII. ut requiesceret, curasque animi relaxaret, cum se gravi & mortifero morbo urgeri intellexit. Nihil tum in illo apparuit nisi religiosum & sanctum, vitaeque cursum explevit VII. Id. Junii. Ejus cadaver ad Centum Cellas translatum fuit, ibique in Coenobio Dominicanorum conditum sine ulla, quod miraberis, inscriptione.

OPERA EDITA

De Oraculis Ethnicorum adversus Vandalen.

De Cruce Constantini visa adversus Johannem Albertum Fabricium: Florentiae 1738. in 4.

S. Antonini Archiep. Florentini Ord. Praedicat. opera omnia ad authogrophorum fidem nunc primum exacta, vita illius, variis dissertationibus & adnotationibus aucta, cura & studio FF. Thomae Mariae Mamachi & Dionysii Remedellii Ordin. ejusdem Theologorum: Florentiae typis Petri Cajetani Viviani: Pars I. 1741. in fol. Pars II. 1742. Volumen II. iisdem typis an. 1756.

De Leone X. Pontifice Max. Otatio: Romae 1741.

Oratio de ratione tradendae philosophiae designatis orthodoxae Religionis propagatoribus, habita in Collegio Urbano de Propaganda Fide XVI. Kal. Decemb. 1743. Romae 1744 in 4.

Sanctiss. Dom. N. Papae Bened. XIV. Spirensis praetensae exemptionis pro Promotore Fiscali Curiae Episcopalis Spirae: Romae typis Rev. Cam. Apostolicae 1747 in 4.

In Vindicias Diplomatum Odenhei mensium exercitatio: *ibid.*

De Diplomatibus Populetanis pro Monachis Sancto-Cruciensibus: Romae

F. Th. M. Mamachi Chii Ord. Praed. Sac. Theol. Mag. & Bibliothecae Casanatensi Praefecti ad Joh. D. Mansium de ratione temporum Athanasiorum, deque aliquot synodis IV. saeculo celebratis epistolae IV. Romae typis Zempellianis 1748. in 8. *His adde Italicas epistolas binas ad Angelum Mariam Bandinium.*

Fr. Thomae Mariae Mamachii Ord. Praed. Theologi Casanatensis Originum & antiquitatum Christianarum libri XX Tomus I. Romae 1749. in Typographio Palladis in 4. Tom. II. 1750. Tom. III. 1751. Tom. IV. 1752. Tom. V. Pars I. 1755.

De' Costumi de' Primitivi Cristiani libri tre composti da F. Tommaso Maria Mamachi dell' Or-

dine de' Predicatori, Teologo Casanatense, Tomi III. Roma 1753. 1754. per gli Eredi di Gio. Lorenzo Barbiellini in 8

Annalium Ordin. Praedicatorum Vol. I. Rmi P. Magistri Fr. Vincentii Mariae Ferretti Vicarii & Procuratoris Ordinis jussu editum, auctoribus Thoma Maria Mamachio, Francisco Maria Polidorio, Vincentio Maria Badetto, & Hermanno Dominico Christianopolo: Romae 1756. in fol.

Ragioni dei PP. Domenicani della Provincia delle Filippine sopra i distretti di Kean detto con altro nome Phutay, sopra quelli di Sucthuy, de Kesat, e di Keban nel Tunchino: Roma 1757. in 4.

De Episcopatus Hortani autiquitate ad Hortanos cives liber singularis: Romae 1759. Excudebant Fratres Palearini.

De animabus Justorum in sinu Abrahae ante Christi mortem expertibus beatae visionis Dei: Romae 1766. Vol. II.

Del Dritto libero della Chiesa di acquistare e di possedere beni temporali sì mobili, che stabili libri III. contro gl' impugnatori dello stesso dritto, e specialmente contro l' Autore del Ragionamento intorno ai beni temporali posseduti dalle Chiese &c. stampato in Venezia l' an. 1766. *Totum opus tres in libros, quin-*

que autem volumina dividitur impressa Romae an. 1769. *&* 1770. *in* 8.

Alethini Philaretae Epistolarum de Ven. Johannis Palafoxii Angelopolitani primum, tum Oxomensis Episcopi Orthodoxia: Vol. III. Romae 1772. 1773. in 8.

F. Thomae Mariae Mamachi O. P. Theologi Casanatensis epistolarum ad Justinum Febronium Jurisconsultum de ratione regendae Christianae Reip. deque legitima Romani Pontificis potestate Vol. III. Romae 1776. 1777. 1778. ex typographia Salviani in 8.

Pisti Alethini epistolarum ad auctorem anonymum opusculi inscripti : Quid est Papa ? Romae Vol. II. 1787. in 8.

ANGELUS FABRONIUS

JACOBO DIONYSIO

Ecclesiae Veronensis Canonico

S. D.

Multum sane debent litterae omnes Veronensibus tuis, quod per illos non modo excultae, sed etiam auctae plurimum amplificataeque fuerint. Ne vetustiora repetamus, quid non praestitit Onuphrius Panvinius, ut non modo Romanae, sed etiam Ecclesiasticae historiae parens haberetur & esset? De eo cum in sermonem incidissem cum Pio VI., cujus in vita nihil est ad laudem illustrius, quam calamitas, narravit mihi,

nulli se pepercisse labori & sumptui, ut omnia illius scripta in manibus haberet, ea mente, ut Romae magnifice pro tanti viri dignitate typis imprimerentur, seque maxime dolere, quod in rei Romanae naufragio illa quoque periissent. Ille aemulus & imitator studiorum ejusdem Henricus Norisius nonne tantam lucem attulit theologicis disciplinis & antiquitatis studiis, ut non solum fautores laudum illius, sed etiam invidos, qui sane multi fuerunt, fateri coegerit in eo, de quo scribendum suscepit, etiamsi multi cum eo contenderint, longe multumque omnes superasse? Ne apud vos tantummodo vigerent mathematicae & physicae disciplinae, sed ut Itali omnes ad eas ipsas provehendas excitarentur, unius hominis fecit industria ac liberalitas, qui, instituta Veronae Academia, cui Societatis Italicae nomen imposuit, illud assecutus est, ut pluribus & illustrioribus scriptis, quorum septem usque jam extant volumina, illae disciplinae amplificarentur, sic ut hac quoque gloria Itala ceteris nationibus nihil concedere videatur. In omni etiam genere honestarum

liberaliumque artium nostra hac & patrum memoria tulit Verona praestantes viros, poetas nobiles, eloquentes oratores, elegantes historicos, Graecarum Latinarumque litterarum egregios cultores, monumentorum antiquitatis explicatores prudentissimos, bellicae disciplinae peritissimos, & fortissimos imperatores (nihil de levioribus artibus dico, pictura, musica atque architectura) quodque hujus urbis proprium esse videtur, vel ipsae nobiles feminae minime expertes sunt litterarum, ut ab iis adolescentes petere industriae exempla possint. Ut multos omittam, qui sunt innumerabiles, de Francisco Blanchinio, & Scipione Maffejo cum cogito, gratulor mihi, quod in eorum vitis declarandis satis omnibus probaverim, tales fuisse viros, ut non uni solum urbi, sed etiam universae Italiae, & saeculo, in quo vixerunt, fuerint ornamento. Saepe etiam recordor judicii, quod Summus Pontifex Benedictus XIV. tulit de Balleriniis fratribus, affirmans neminem se novisse, qui cum iis eruditione & doctrina sacrarum disciplinarum contendere potuisset, quare muneri,

quod suscepi, deesse putassem, si de iis siluissem, te praesertim hortatore, cui si aliquid denegarem, ingrate sane facerem. Nam ex eo tempore, quo in Etruria versabare, Dantis Alighierii vitam & scripta illustrandi caussa, pro quo summos labores & impensas ferre minime dubitasti, tanta me benevolentia complexus es, ut conjunctiori morem me non posse gerere existimem. Adde, quod Veronenses tuos semper amavi plurimum, quibus alienigena non prorsus esse videbor, postquam unus e familia mea extitit, vir profecto bellica laude clarissimus, qui sub Bartholomaeo Aliviano pro Venetis fortiter pugnans, mortem in urbis moenibus occubuit. Fuit enim hoc fatum illius, ut belli calamitates ferre saepissime debuerit, quaeque post rerum vestrarum & communium gravissimos casus proximis annis acciderunt, tanta me sollicitudine affecerunt, ut ex acerbissima & diuturna perturbatione animum erigere nunquam potuerim. Si ulla esset levatio, esset profecto in litteris, sed cum patrocinium pacis aut errore, aut ambitione imperantium ex-

olusum sit, nil aliud restat; nisi ut

Tacite gementes tristem fortunae vicem,

Deum optimum maximum obtestemur, ne sinat nos diutius spectacula sordium, luctus atque squaloris plenissima conspicere, utque pericula, quae opinionum pravitate resident, & sunt inclusa penitus in venis atque in visceribus Reipublicae, tandem procul amoveat. Vale, amicorum optime, quique didicisti litterarum bono uti gloriose, te ipsum futurae vitae spe solaberis, si minime reperies, quemadmodum in hac miseriarum plenissima salutariter utaris.

Pisis Kal. Jan. MDCCXCIX.

PETRUS BALLERINIUS

Ex illorum numero, qui actiones moresque hominum praeceptis & consiliis moderantur ac regunt, quique in divinae naturae ejusque proprietatum pervestigatione ac contemplatione versantur, fuisse quidem videtur omnium doctissimus Petrus Ballerinius Veronae honestissima familia natus VII. id. Septembris an. MDCXCVIII., cujus prima adolescentia cum in ea incidisset tempora, quibus, qui tradebant theologicas disciplinas, de rebus difficillimis, aut non necessariis sine verborum delectu, sine critices & historiae subsidio argutissime, ut ipsis videbatur, disputare solebant, ipse sibi consulendum putavit. Nec sane quidquam prae-

teriit, quod summis ingeniis, accerrimis studiis, optima doctrina, maximo usu cognosci & percipi possit, seque beatum putavit, quod in hoc itinere comitem habuerit Hieronymum fratrem natu minorem (etenim in lucem venerat ineunte an. MCCII.) sed pari ingenio & industria praeditum, & in quo eadem voluntas erat totum se religiosis officiis atque muniis addicendi. Virum egregium, conjunctissimum sibi consiliorum omnium societate consortem habuit cunctorum gloriosorum laborum & communicando, & monendo & favendo, sic ut dum alterum laudabo, alterum quoque me laudare putes. Magna sapientum magistrorum penuria praeclare secum agi putavit, si ad imitandum sibi tamquam exemplum proposuisset clarissimum illud Catholicae Ecclesiae lumen Augustinum, qui summe omnium doctrinarum studiosus fuit, & ex quo uno ad ceteros erudiendos materiem sumpsit operis, quo rationem declaravit ab eo adhibitam in tanta & tam varia doctrinae copia sibi comparanda. Editum hoc fuit Veronae an. MDCCXXIV. postea etiam Romae, neque

defuit, qui ipsum ex Italica in Gallicam linguam converterit, ex quo de illius praestantia utilitateque conjecturam facere possumus. Duplex libelli dos est, quod prudenti consilio monet eos, qui se in humanioribus praesertim litteris Petro instituendos dederant, quam ii viam tenere deberent, ut eo, quo intendebant, pervenire possent, quodque conabatur avertere theologiae studiosos a recentiorum quorumdam opinionibus, quae si stetissent, sanctiora atque solemniora officia, quae ad vitam degendam pertinent, comminui ac violari necesse fuisset. Non enim linguae solum, sed etiam animi & virtutis se dici magistrum Petrus optabat. Nemo autem dubitabit, quin ex omnibus iis, qui Augustini vestigia sunt persecuti, unus omnium maxime floruerit Henricus Norisius Cardinalis, qui praestans ingenio, omnique doctrina scientiam ab ipso acceptam, auctamque per se se pluribus & illustrioribus litteris explicavit. Itaque Petrus bene se de patria, quae sibi cum illo communis erat, deque optimis studiis mereri putavit, si animum applicuisset ad ejus

opera, quae erant dispersa, in unum corpus colligenda, atque vulganda. Neque hoc solum fecit, sed etiam, quam imperfectam is reliquerat, Donatistarum haereseos historiam ordinavit supplevitque, & observationum tres libros ad omnia ejusdem sacra scripta illustranda, atque defendenda exaravit, qua in defensione respexit praesertim ad Jo. Garnerium hominem Jesuitam sane cum paucis doctrina comparandum, qui Norisianam dissertationem de V. Synodo oecumenica, deque cognita judicataque in ea Origenis caussa sic oppugnaverat, ut plerique ejus acumine atque eruditione abrepti, ambobus, ut ajunt, pedibus in illius sententiam transierint. Quod non huic modo dissertationi, sed & Pelagianae historiae, quae tot peperit Norisio adversarios, totque excitavit rumores, magnum afferre lumen possunt Marii Mercatoris opera, Synodicon adversus tragoediam Irenaei, Vigilii Pontificis Constitutum, S. Columbani epistolae, aureus libellus de mortibus Persecutorum Lactantio Firmiano tributus, ex his aliisque hujus generis pluribus scriptis,
quae

quae Norisium latuere (nondum enim e bibliothecarum tenebris eruperant) magnum pondus addere potuit Petrus suis observationibus, qui, ut erat, supra quam credibile est, veritatis amans, minime occultavit si qua in re peccasse illi visus est Norisius suus. Nunquam profecto satis laudaveris Ballerinium, qui tot res, tantas, tam opportune in hoc opus conclusit, ut ex hoc uno de illius eruditione atque doctrina judicari potuerit. Ad id dissertationem de origine Patriarchatus Aquilejensis contexuit, confirmans Norisii sententiam, qui illam repetiit ab Aquilejensium schismate, nec de unius Aquilejensis solum, sed & de aliarum Italiae antiquiorum Ecclesiarum, ac Metropoleon initiis disputare illi mens fuit, suo more monumenta & rationes inquirendi, quibus vel severissimis disceptatoribus sententias suas se probaturum confidebat. Neque minus satisfecit iis, qui ab eo exigebant, ut omnem Norisii vitae cursum exponeret, quod non modo copiose & docte, sed etiam eleganter praestitit. Non mediocriter enim se in Latinis litteris exercue-

rat, quas dum privatim docuit, bonus & eruditus magister habitus est. Patriae quoque amor facile ab illo obtinuit, ut Jo. Matthaei Giberti Episcopi Veronensis sanctitate & doctrina viri clarissimi opera colligeret, ederet atque illustraret. Ex iis quod praecipuum locum tenent Constitutiones, quibus vel ante Tridentinum Concilium clericorum disciplinae sapientissime consuluit, quasque non consequentes modo Episcopi, sed & summi Romani Pontifices honorificentissimis decretis confirmarunt, de his ita disseruit Petrus, ut omnibus probaverit fuisse illum Ecclesiasticae disciplinae instauratorem solertissimum. Neque minorem diligentiam adhibuit in ejusdem vita declaranda, ea omnia testimonia colligens, quae ejusdem aetatis scriptores ejus doctrinae, prudentiae, innocentiae rebusque gestis tum in gubernanda dioecesi, tum in obeundis Romanorum Pontificum nomine legationibus tribuerant. Homo in Augustini ceterorumque Ecclesiae Patrum schola eruditus, quique omnes actiones suas ad severioris disciplinae normam dirigebat, tantum aberat,

nt ex iis, quibus Christiani omnes adstricti sunt, vinculis, quaeque majores nostri religione tuta nobis & sancta esse voluerunt, laxari aliquid vellet, ut sibi arma sumenda esse putaverit adversus eos, qui probabilis nomine in morum scientia errores objicere sibi videbantur. In omni disciplina, quod multa esse possunt, quae nos probabilitate magna fallant, cavendum in primis est, ne quid sit falsum & incertum in ea, quae mores, animum actionemque vitae omnem moderari debet, ut sine ullo erroris periculo dijudicare possimus quae recta, quaeque prava sint. Haec fuit semper sapientiorum theologorum sententia, quae ne infirmaretur a probabilismi, ut loquuntur, auctoribus magnopere timendum erat. Non sine maximo animi dolore Tyrsus Gonzalesius vidit inter Jesuitas suos plures esse hujus probabilismi fautores defensoresque acerrimos, ac fore, ut quasi herba irrigua hoc recens inventum apud eos succresceret, quare ut huic malo, si fieri potuisset, remedium afferret, opus exaravit cum hac inscriptione: *Fundamentum theologiae mo-*

ralis, id est, *tractatus theologicus, in quo ostenditur non probabilitatem, quae communis est sententiis opposita, sed dumtaxat veritatem, saltem ut creditam, & prudenter existimatam, esse rectam regulam morum; proindeque nunquam esse licitum sequi sententiam minus tutam in concursu tutioris, nisi illa praemineat isti quoad probabilitatem, seu verisimilitudinem in existimatione operantis*. Idem, cum praeesset universae familiae Societatis Jesu, nihil praetermisit, ut ab ea eliminaret quidquid rectissimis theologiae moralis praeceptis minime convenire ipse putabat, quam ob rem in multorum reprehensiones incurrit. Ceteros inter, qui probabilismi patrocinium aliena magis, ut fertur, voluntate, quam sua sponte arripuerunt, extitit Paullus Segnierius, cujus auctoritate ne quis moveretur (nemo enim illo fuit sanctior atque doctior) epistolas quasdam, eodem jam e vivis erepto, vulgatas Ballerinius omnium primus oppugnandas suscepit. Accidit autem praeter optatum illius, ut in aciem dimicationemque venire coactus fuerit sua a repre-

hensoribus defendendi caussa, nervosque omnes adhibuit, pluribus editis hac de quaestione libris, quorum indicem infra subtexemus, ut sarta & tecta essent sanctioris disciplinae praecepta. Hoc maxime spectavit in omni suo studio, utque fontes purissimos, unde illa essent haurienda, indicaret, S. Antonini Florentinorum Antistitis, nec non S. Raymundi de Penafort Summam, ut vocatur, praelectionibus, Conciliorum, ac Tridentini praesertim, Romanarumque Pontificum decretis auxit, illustravitque. Haec ad exequendum quoque munus suum pertinere putabat, cum tradendas suscepisset theologicas & morales disciplinas, tanta quidem discipulorum frequentia, ut nulla unquam fuerit schola celebratior. Definitor quoque, ut ajunt, Collegii Episcopalis factus, maximi interesse putavit, ut qui sacrae militiae nomen dabant, omne id tenerent, quod cum virtute & officio tuto fiat, & in illorum auctoritate acquiescerent, qui cum praestitissent sanctitate atque doctrina, magistri vitae jure meritoque dici poterant. Idem separatim egit de Regula

moralium actionum (sic liber inscribitur) in iis rebus, quae sunt opinabiles, quam non solum testimoniis, sed etiam exemplis comprobavit. Extiterunt enim viri doctrina clarissimi, qui, probabilismi sectatorum desertis castris, ad probabiliores transierunt. His editis, gloriari sane poterat suscepisse sibi perpetuam propugnationem pro sanctioribus moralis theologiae dogmatibus, quapropter dolenter sane vidit inter Veronenses suos extare plures, qui negabant se posse approbare, quae de usura in praelectione quadam ad S. Antonini Summam aliisque in scriptis docuerat. Haec ut firmiora faceret, librum exaravit *de jure divino & naturali circa usuram*, quo cetera inter omnium primus historiam contexuit errorum, quos hominum malitia atque avaritia hac de re peperit, quemque antequam vulgaret, Romam ad hominem doctrina & dignitate amplissimum misit, ejus exquirens judicium. Interea Scipio Maffejus opus edidit inscriptum *Dell' impiego del denaro*, quo Nicolai Broedersenii renovata sententia, prolata a Ballerinio eo leviora infirmioraque

existimavit, quo majori conatu agebantur; necesse enim esse ajebat elanguescere industriam, & omne commercium tolli, si nullus ex credita pecunia sperari potuisset fructus. Contrariis infirmandis, & suis confirmandis, eo spectantibus, ut non modo in divinis libris eorumque sapientissimis interpretibus, sed etiam in ipsa natura positum esse probaret, haud licere pecuniam pro usuris exigere, plura Petrus destinavit scripta; ne omnia autem in vulgus emitteret, fecit Senatus Veneti auctoritas, qui silentium fieri jussit, illa usurpans verba; quiescant disceptatores, & hoc in lucro ponant, si pergent porro novis operibus patriae lumen animi, ingenii consiliique sui ostendere. Omnem autem diremisse quaestionem videtur Benedictus XIV. datis an. MDCCXLV. ad omnes Italiae Episcopos litteris, quarum est initium: *Vix pervenit*, quibusque de usuris & mutuo ea explicat & declarat, in quibus severiores theologi, & vel Ballerinius ipse prorsus conquieverunt. Regebat tum Veronensem Ecclesiam vir omni honore dignissimus Jo. Bragadinius, qui vel an-

te hoc tempus suis edictis caverat, ne quid suae Dioecesis populi detrimenti caperent ab iis, qui de usuris minus recta sentiebant docebantque, neque dubito, quin id fecerit Ballerinii consiliis, quibus sane multum tribuebat, cujusque opera in gravioribus rebus gerendis utebatur. Id quoque ei negotii dedit, ut praeesset typographio a se in Clericorum Seminario instituto, ex quo brevi ejusdem suasu in lucem prodiere S. Zenonis sermones, qui saeculo aerae Christianae IV. sanctissime Veronensem Ecclesiam gubernaverat. Constare enim jam inter omnes non solum catholicos, sed & heterodoxos videbatur, illos eloquentiae vi, ubertate atque elegantia dicendi, sententiarum gravitate, & praeceptorum praestantia maxime esse celebrandos. Porro magnos sustinere debuit Petrus labores, ut antiquissimos codices consuleret, vera a falsis dubiisque separaret, corrupta emendaret, omissa suppleret, tribusque dissertationibus omnia illa persequeretur, quae ad scripta, horum caussam, tempus & doctrinam, & demum ad acta & cultum sanctissimi Episcopi pertine-

bant (nam qui in iis sermonibus edendis antea operam posuerant, non solum indocte, sed etiam negligentissime se se gesserant) omnique eruditionis genere novam hanc editionem exornaret. Post hos *Summas* illas morales, de quibus paullo supra diximus, imprimendas curavit, dumque alia Catholicae Ecclesiae utilissima moliebatur, an. MDCCXLVIII. jussus est a Veneto Senatu asseclam esse Francisci Foscari, qui Romam ad Summum Pontificem legabatur componendi gratia controversias, quae jamdiu fuerant Caesarem inter & Rempublicam caussa Aquilejensis Patriarchatus. Duodeviginti menses in Urbe fuit, quodque illi supererat temporis ab hoc tractando negotio, libentissime in bibliothecis consumebat. Veniebat etiam saepe ad Benedictum XIV. atque inter eos sermones, quibus fere de optimis studiis & sacris disciplinis non pauca doctissimus Pontifex solebat disserere, cum mentio incidisset de ea S. Leonis editione, qua Paschasius Quesnellus illius opera non tam emendare ac illustrare, quam aliquot commentariolis, observationibus, &

dissertationibus non paucis in locis redarguere, pervertere ac deturpare studuit, quin tu, inquit, rem dignam doctrina tua studioque in Romanam Ecclesiam suscipis, ut novam editionem pares, & Gallici scriptoris audacissimos conatus fallaciamque retundas? Principio rei difficultate perterritus tantum onus recusare visus est Petrus, sed, instante & urgente Pontifice, suamque opem pollicente, illud recepit, statimque operi manum admovit. Itaque Benedictus, raro sane exemplo, quotquot erant in Vaticana ceterisque Romanis bibliothecis S. Leonis exemplaria manu scripta ad eum deferri jussit, curavit etiam, ut per homines doctos accurate consulerentur, quae extabant aliis in bibliothecis tum intra, tum extra Italiam, quibus subsidiis auctus Petrus intellexit tale a se quidem posse confici opus, quod Quesnellianum longe multumque tum emendatione, tum copia ineditorum monumentorum, tum diligentia in separandis veris a falsis, confirmandisque illustrandisque rectissimis de re catholica sanctissimi Pontificis sensibus longe mul-

tumque superaret. Nam Gallus etsi multa subtiliter & erudite congerat, quae non paucos non inferioris notae homines in ejus sententias rapuere, nihilo tamen minus, duce & magistro Ballerinio, facile est deprehendere, sagacissimum hominem ingenio ac novitati indulgentem, & quarumdam studio partium abreptum in conjecturas plerumque fallacissimas intemperanter excurrisse, quibus magno acumine & artificio obvolutis, magnaque eruditione fucatis, multa nova & falsa verisimilitudinem quamdam induere potuerunt. Novem fere annos in hoc opere consumpsit Petrus, illudque tria in volumina, diversis edita temporibus, distribuit, quorum postremum Appendicis nomine appellavit. Continet enim vetustissimum codicem Canonum Ecclesiasticorum, & Constitutionum Sanctae Sedis Apostolicae, quem codicem, quod eidem Pontifici tribuendum Quesnellus censuerat, suarum partium esse duxit Petrus illum ipsum ope praestantissimorum exemplarium emendare, augere etiam rarissimis atque ineditis antiquissimi juris canonici monumentis, magno

labore atque impensa ex bibliothecis, in quibus diu nimium latuere, sibi comparatis, & ad trutinam revocare, quae, exaratis quinque usque dissertationibus, Quesnellus docuerat, ut scirent omnes quid hic attentarit, ut in antiqui juris Pontificii scitis minus versatos fallere posset. Cave putes quidquam absolutius atque utilius universo hoc opere fieri potuisse ad noscendum vetustissimum jus canonicum, & quae exordia, quosque progressus illud habuerit, quid ex una collectione traductum fuerit in alias, quae fuerint apocryphorum initia, quid interpolatum obrepserit, quid corruptum, quid mutilum, & quando demum documenta in antiquis collectionibus integra in partes discindi, atque in capita distribui coeperint. Haec scripta meritis omnes tulerunt laudibus, cumque Veronensis Episcopus nihil esse intelligeret, quod ejus non credi posset doctrinae atque industriae, facile ab illo obtinuit, ut Ratherii, qui sane magnum decus addidit Veronensi Ecclesiae, ipsam saeculo X. in maxima morum corruptela severe regens, opera, quae extabant,

quaeque erant inedita colligeret, emendaret, &, suo more, copiose illustraret, resque gestas ac vices illius exponeret, in quo perficiendo minime passus est desiderari diligentiam suam. Eodem tempore mandatum habuit a Veneto Senatu, ut jura Reipublicae defenderet in statuendis finibus Benaci lacus, quae imminuere, vel potius violare contendebant Austriaci. Quae hac de re scripto consignavit, Senatus sumptibus an. MDCCLVI. Veronae impressa fuerunt, ab eoque ipse & frater, quem in omni opera conjunctissimum semper habuit, tulerunt donum aureorum numismatum, quae testabantur praeclara illorum merita in patriam atque in rem litterariam universam. Nullos quidem invenisses patriae studiosiores atque diligentiores in quaerendis monumentis, quae illius civilem & sacram historiam illustrare poterant, quaeque exararunt *de Privilegiis & exemptione Capituli Cathedralis Veronensis*, declarant acumen, quo occultissima perspiciebant, & ad severioris critices praecepta exigebant. Id autem egerunt, ut monumenta quaedam ab

Ughellio in medium prolata, quibus probari posse videbatur, Collegium illud vel ab antiquissimis temporibus exemptum fuisse sui Episcopi jurisdictione, apocrypha esse ostenderent, qua de re sic amiçe pugnarunt cum Francisco Florio, quemadmodum alibi docuimus (*), ut in utramque partem multa acute dicta fuisse videantur. His de rebus disputantibus necesse fuit haud pauca de Rhaterio Episcopo disserere, qui cum pecuniae, cum voluptati, cum omnium rerum cupiditati, quae in illo Collegio omnique clero dominabantur, resisteret, in periculosas atque inimicitiis incensas contentiones venit, ob quas ab omnibus destitutus, Episcopatu & Italia cedere coactus fuit. Haec & cetera plena gravioris & severioris disciplinae, quae in omnibus Balleriniorum scriptis apparebant, tanta constantia ii tuebantur, ut non obsisterent solum gratiae,

---

(*) *Vide Florii ipsius vitam, quae extant in Volumine XV.*

sed etiam suspicioni. Adjungebant etiam facilitatem in audiendo, lenitatem in discernendo, in satisfaciendo ac disputando diligentiam. His rebus jucundissimi omnibus iis fuerunt, qui virtutem amabant, quique doctrina atque optimarum artium studiis erant eruditi; & sane, nisi illorum singularis obstitisset modestia, a Veneto Senatu, qui ab iis saepe consilia exquisivit, quique de iis nunquam mentionem fecit, nisi honorificam, eas obtinuissent dignitates, quae propter magna merita claris viris deferri solent. Sperare quoque praemia potuissent a Summo Pontifice Benedicto XIV. qui saepe litteras ad Petrum dedit, ea exquirens consilia, quae ad rem Christianam sancte gubernandam ac moderandam pertinebant. Cujus rei ut aliquid exempli caussa afferam, cum efflagitaretur a Regibus quibusdam, ut festorum dierum numerum minueret, nil decrevit, nisi postquam Balleriniorum sententiam cognoverat. Nihil dico de Veronensibus Episcopis, qui lumina atque ornamenta Veronensis cleri illos appellabant, ceterisque tanquam exempla ad imi-

tandum proponebant. Multos eorum similes; si fieri potuisset, ut haberent, ab ipsis exegerunt, ut *Institutionem Ordinandorum* (sic opus inscribitur) exararent, ex qua summa extitit utilitas ad res ponderandas, quibus ornari decet, qui se sacrae militiae sacramento obstringunt. Postremo tempore opus majorum vigiliarum suscepit Petrus *de vi ac ratione primatus Romanorum Pontificum, & de ipsorum infallibilitate in definiendis controversiis Fidei*, ex quo dogmate quod maxime pendeat Catholicae Ecclesiae bonum, haeretici atque schismatici velis remisque illud evertere, aut saltem infirmare contenderunt. Ne actum agere videretur, cum his graviorum testimoniorum corruptoribus impudentissimis rem habere noluit; caussam sibi dicendam esse statuit cum iis Catholicis, quorum unus est consensus, a Deo Romanis Pontificibus datum fuisse Primatum illum, disputant autem quae sit propria hujus ratio, quae jurisdictionis vis in definiendis maxime Fidei controversiis, quaeque potestas, praesertim si conferatur cum potestate oecumenici conci-
ci-

cilii. Ad hanc, si fieri potuisset, quaestionem tollendam, & ad vindicanda Pontificiae majestatis jura iis principiis usus est, de quibus disceptatores ipsos convenire necesse erat, quibus positis & inter se miro artificio nexis jugatisque, quae consequerentur facile fuit ostendere, sic ut nunquam dijudicari poterit, aut ita dijudicabitur eam esse naturam & rationem Pontificii Primatus, non humana, sed divina auctoritate instituti ad unitatem in universa Ecclesia continendam atque conservandam, ut sub Petri successorum jus, jurisdictionem potestatemque Catholicam Ecclesiam subactam fuisse dicere debeamus. Caput illud, quod pertinet ad potestatem Romani Pontificis comparatam cum oecumenicorum Conciliorum potestate, separatim tractavit Petrus, edito opere, cum hac inscriptione: *de potestate Ecclesiastica Summorum Pontificum & Conciliorum generalium, una cum vindiciis auctoritatis Pontificiae contra opus Justini Febronii*. Scriptor enim hic specie restituendae veteris Ecclesiasticae disciplinae, declarandique, quae norma, quae regula,

quaeque praescriptio esset Conciliorum de totius Ecclesiae statu atque dignitate tuenda, inimicum adeo Pontificiae potestatis se ostendit, ut si eam non tollere, infirmare quidem plurimum adlaboraverit. Genus belli erat hujusmodi, quod maxime animum Petri, qui omnem aetatem in his studiis consumpserat, excitare atque inflammare debuit, cumque praevideret, quo eruptura esset hominum conspiratio, qua haud scio an calamitosior unquam fuerit, ad rumpenda vincula, quibus Deus nos adstringi voluit, omnem doctrinae & eruditionis vim attulit, ut tantum malum a visceribus Catholicae Reipublicae averteret, ea docens, quorum certissima sunt testimonia in divinis libris, in SS. Patrum scriptis, & in Ecclesiasticae historiae monumentis. Ex his acta Pisanae & Constantiensis Synodorum, ex quibus profluxisse videtur error illorum, qui Pontificiam auctoritatem oecumenicis Conciliis omnino subijciant, sic perpendit, ut ex illa altera argumenta adversariorum sententiae contraria eliciat, alterius vero decreta nullius momenti esse probet multas

ob caussas, sed ob illam praesertim, quod confirmatione Apostolica caruerint. Atque ex his omnibus disces quidem quam levia sint, quae Febronius attulit, ut cederet Episcopis, quae Romanorum Pontificum auctoritati detrahere conatus est, quamque infirma tota illa Meldensis Episcopi propugnatio atque defensio pro actis Cleri Gallicani eo in conventu, qui habitus est an. MDCLXXXII. Homo, qui sapientia munitum pectus gerebat, nullum munus afferre Catholicae Reipublicae majus meliusve se posse putavit, quam si arma sumpsisset, ut quod religione testatum & veritate fundatum repererat ab adversariorum impetu vindicaret. Sic enim ab ineunte aetate fuit animatus, ut se Ecclesiae procreatum putaret, cujus studium quidquid ab eo susceptum est aluit, formavit, auxit. Ex hoc ille animus in contentionibus paratus ad vulnera, quae illi infligere conati sunt ii, qui studio partium, novitatisque amore abrepti a majorum religione institutisque, atque a sententiis, quae sunt nobis Sanctorum Patrum scriptis traditae, defle-

ctere videbantur (*). Nihil dico de furenti petulantia eorum, qui aperte religioni bellum indixere, ad quos insectandos, si fieri potuisset, vel plures animos atque linguas se habere concupivisset. Cum omnes actiones illius, omnes sententiae, omnesque curae, ac vigiliae ad eum exitum pervenissent, quem sibi proposuerat, scilicet ut rem Catholicam suis scriptis juvaret, omniaque officia, quae sunt hominis sacris addicti, persolveret, sancte vitae cursum explevit VI. Kal. Aprilis an. MDCCLXX., hilariter moriens, quia spe sustentatus, se cum Christo resurrecturum, cujus Resurrectionis memoria illo ipso die tum renovabatur.

(*) *Multum sane laborem Petrus una cum fratre impendit ad opus conficiendum, quo non magis novitas, quam magnitudo rerum omnes excitaret ad exquirendas caussas, quare nonnulli ab Augustini sententiis de Gratia Dei discesserunt. Sed excrevit adeo operis ipsius magnitudo, ut de eo absolvendo perpoliendoque cogitationem abjecerint.*

OPERA EDITA

Il metodo di S. Agostino negli studj. Verona 1724. Roma 1757. *Gallicam in linguam opus conversum a Nicolao la Croix prodiit: Parisiis 1760. in 8.*

In Volum. IV. operum omnium Henrici Norisii Cardinalis Veronae editorum. ex typographia Tumermaniana 1733. in fol. extant tres observationum libri in eadem sacra opera *a Balleriniis fratribus exarati*, Donatistarum historia *ab iisdem suppleta*, *dissertatio* de Synodo V. adversus Jo. Garnerium, *dissertatio alia* de Patriarchatu Aquilejensi, *Vita Norisii ipsius*, *nec non praefationes, in quibus omnibus magna diligentia atque doctrina comparet.*

Joannis Matthaei Giberti Episcopi Veronensis opera nunc primum collecta, & ineditis ejusdem opusculis aucta, celeberrimi Auctoris vita, dissertatione, variisque monumentis illustrata: Veronae 1733. in 4. Hostiliae 1736. in 4.

Risposta alla lettera del P. Segneri sulla materia del probabile. Verona 1733. *Editio secunda recognita & aucta* 1735. in 8.

Epistolae quatuor Theologico Morales adversus dissertatorem S. J., seu Censura quatuor disser-

tationum, quae dictatae fuerunt contra libellum Italice inscriptum: Risposta alla lettera del P. Segneri della Comp. di Gesù sopra la materia del probabile.

Confutazione della lettera d' un Teologo all' autore dell' opera intitolata: Risposta alla lettera del P. Segneri &c. 1734. in 8. Verona.

Saggi della Storia del Probabilismo nella descrizione del cangiamento di sei insigni Probabilisti in Probabilioristi. Verona 1736. in 8.

Lettera al Teologo Autore del Saggio d' Annotazioni sopra l' opera, che ha per titolo: Confutazione della lettera d' un Teologo &c. Verona 1736. in 8.

Moralium Actionum regula in opinabilibus, sive quaestio de opinione probabili cum duplici appendice. Venetiis 1756. in 4.

S. Zenonis Episcopi Veronensis Sermones nunc primum, qua par erat, diligentia editi, alienis nimirum separatis, ac in Appendicem rejectis, codicibus compluribus consultis, ac dissertationibus, perpetuisque adnotationibus illustrati. Veronae 1739. in 4.

S. Antonini Archiepiscopi Florentini Ordinis Praedicatorum Summa Theologica in quatuor partes distributa ad vetustiores libros exacta, & ab innumeris mendis correcta, & posterioribus Conciliorum, praesertim Tridentini, ac Ponti-

ficum Romanorum decretis, adnotationibus, aliisque observationibus, ac praelectionibus illustrata. Veronae 1740. 1741. Tom. IV. in fol.

Praelectiones in secundam partem Summae S. Antonini *separatim editae prodiere*: Veronae 1740. in 8.

S. Raymundi de Pennafort Ord. Praedicatorum Summa cum praefatione, & vita auctoris. Veronae 1744. in fol.

Cautiones adhibendae defensionibus litterarum cambii civicarum, aliorumque ejusmodi contractuum, qui in usurae suspicionem veniunt, ne in haereticorum usuras patrocinantium sententiam abeant. Veronae 1734. in 8.

La Dottrina della Chiesa Cattolica circa l' usura: Bologna 1744. Roveredo 1745. Bologna 1747. in 4.

De jure divino & naturali circa usuram libri sex: Bononiae 1747. in 4.

Vindiciae juris divini & naturalis circa usuram adversus opus novissime editum de usuris licitis & illicitis Nicolai Broedersen. *His vindiciis addita est* dissertatio de Concilio Viennensi sub Clemente V. ejusque decretis. Bononiae 1747. in 4.

Appendix trium opusculorum in materia usurarum. Bononiae 1747. in 4.

De privilegiis & exemptione Capituli Cathedralis Veronensis dissertatio cum animadversionibus in libellum novissime editum, & Italice inscriptum: *Notizie spettanti al Capitolo di Verona*. Additur appendix quorumdam documentorum, ubi tria apud Ughellum edita ut sincera, nunc primum deteguntur & demonstrantur apocrypha: Venetiis 1753. in 4.

Lettera ad un amico sopra il privilegio attribuito a Ratoldo Vescovo di Verona a favore de' Canonici della medesima Città inciso in rame, e poco fa pubblicato in un gran foglio: Verona 1754 in 4.

Conferma della falsità di tre documenti pubblicati dall'Ughelli a favor del Capitolo di Verona. Verona 1754 in 4.

S. Leonis Magni opera post Paschasii Quesnelli recensionem ad complures & praestantissimos MSS. codices ab illo non consultos, exacta, emendata, & ineditis aucta, praefationibus, admonitionibus, & adnotationibus illustrata. Adduntur etiam quaecunque in Quesnelliana editione inveniuntur, eaque, ad crisin revocantur. Curantibus Petro & Hieronymo Ballerinis Presb. Veronen. Tom. I. sincera S. Pontificis opera continens, id est Sermones & Epistolas cum suis appendicibus. Venetiis 1753. in f.

Tomus II. continens opera S. Leoni tributa, quae nec ad sermones, nec ad epistolas pertinent. Accedunt S. Hilarii Episcopi Arelatensis opuscula ad codices exacta & aucta, subijciuntur dissertationes XI. Quesnelli in S. Pontificis opera, ejusque notae in epistolas, criticis observationibus appositis: Venetiis 1756. in f.

Tom. III. *inscriptus*. Appendix ad S. Leonis Magni opera, seu vetustissimus codex canonum ecclesiasticorum, & constitutorum Sanctae Sedis Apostolicae a Quesnello ejusdem Pontificis operibus adjectus, nunc autem ad praestantissima MSS. exemplaria recognitus, & in meliorem multo formam restitutus: cui alia subijciuntur rarissima, vel inedita antiquissimi juris Canonici documenta: & quinque dissertationes Quesnelli in eundem canonum codicem ad criticem revocatae. Praemittitur tractatus de antiquis tum editis, tum ineditis collectionibus, & collectoribus Canonum ad Gratianum usque. Venetiis 1757. in f.

Ratherii Episcopi Veronensis opera nunc primum collecta, pluribus in locis emendata, & ineditis aucta, praefatione generali, vita auctoris, animadversionibus, notisque illustrata. Veronae 1756. in f.

Institutio ordinandorum in quatuor partes distributa. Venetiis 1763. in 8.

De vi ac ratione Primatus Romanorum Pontificum. Veronae 1766. in 4.

De potestate ecclesiastica Summorum Pontificum & Conciliorum generalium liber, una cum vindiciis auctoritatis Pontificiae contra opus Justini Febronii. Accedit appendix de infallibilitate eorumdem Pontificum in definitionibus fidei. Veronae 1765. in 4.

Risposta alla Deduzione Austriaca sopra i confini del Lago di Garda. *Liber hic sine nomine Auctoris, & loco & anno impressionis editus Veronae fuit an. 1756.*

ANGELUS FABRONIUS

FRANCISCO XAVERIO ZELADAE

CARDINALI

S. P. D.

Consideranti mihi quot vices passus sit Latinus sermo, qui Ciceronis aevo politus erat, nitidus & candidus, & naturali quadam copia, omnique elegantia affluens, nihil admirabilius videtur, quam eos ipsos auctores, qui consecuti sunt, quique summam laudem tribuere aurei saeculi scriptoribus, ab his degenerasse adeo, ferme ut alia quadam lingua locuti esse videantur: Frustra sane quaesieris Ciceronianam dictionem in Senecae, Plinii, aliorumque illius aetatis scriptorum libris, jure ut dicat Quin-

tilianus, dicendi mutavimus genus, & *post pauca*: quid multis? totus prope mutatus est sermo. *Festus vero Pompejus*, Latine, *inquit*, loqui a Latio dictum est, quae locutio adeo est versa, ut vix ulla pars ejus maneat innoxia. *Quatuor propemodum post Romam conditam videntur Latini sermonis, doctorumque virorum fuisse tempora, antiquissimum videlicet, antiquum, perfectum, atque imperfectum. Illud prius ad Livium usque Andronicum pervenit, quo in intervallo quatuordecim usque & quingentorum annorum, ut ait Cicero, fuisse permultos doctos suspicari magis, quam intelligere licuit, quod nulla penitus eorum extabant in litteris monumenta praeter orationem Appii Caeci, & quasdam mortuorum laudationes, sicut in Originibus scriptum reliquit Cato. Antiquum vero tempus id appellabimus, quod inter Livii & Ciceronis aetatem elapsum est (centum vix annorum fuisse ex ipso Cicerone colligitur) quo licet quamplurimi doctissimi viri floruerint, qui quasi architecti Latinitatis fuerunt, eos tamen horridioribus verbis usos, & sine cultu, & verborum de-*

lectu locutos fuisse Ciceronis sequens aetas animadvertit : quare quanquam is laudet multum Catonis orationes, & Cornelii Caetegi eloquentiam, & alios bene multos honorificentissime appellet, qui suae aetati propiores fuerunt, hos tamen ab summo abfuisse dicit, quod aliquando usi fuerint veteribus verbis, & ab usu perfecto, & auribus eruditis remotis. Quare jure gloriari potuit, se rationem adhibentem prae ceteris effecisse, ut consuetudo prisci sermonis vitiosa & corrupta pura & incorrupta consuetudine emendaretur, atque in honore esset splendidum quoddam, minimeque veteratorium dicendi genus, sic ut oratorum laus ducta ab humili venerit ad summum, & notari atque intelligi potuerit quo tempore, & per quos viros Latinus sermo & eloquentia maturitatem & perfectionem quamdam suam consecutae fuerint. Sed quia ea est natura rerum humanarum, ut senescat ea vis, quae illud genuit; cui nihil addi posse videtur, praevidit idem Cicero, brevi tempore tantam laudem ad nihilum venturam, in quo minime illum falsum fuisse consequentis aetatis

scripta, *& testimonia querelarum plena aperte comprobant*. Quis enim ignorat (*his verbis litterarum infortunium suorumque temporum conditionem queritur Cornelius Tacitus, vel alius quispiam in dialogo, qui de oratoribus inscribitur*) & eloquentiam & ceteras artes descivisse ab ista vetere gloria, non inopia hominum, sed desidia juventutis, & negligentia parentum, & inscitia praecipientium, & oblivione moris antiqui? quae mala primum in Urbe nata, mox per Italiam fusa jam in provincias manant. *Ex his factum dixit*, ut quae olim omnium artium domina pulcherrimo comitatu pectora implebat, nunc circumcisa & amputata sine apparatu, sine honore, sine ingenuitate, quasi una ex sordidissimis artificiis discatur. *Sed haec peiora etiam tempora consecuta sunt. Sibi ignosci postulat Macrobius, si in suo sermone nativa Romani oris elegantia desideretur: Apulejus Latinas litteras se ignorare ingenue fatetur, Sidonius, Fulgentius, Martianus Capella, ut alios bene multos omittam, non modo scriptorum suorum inelegantia, sed etiam dictis com-*

probarunt, illam suavitatem, & quasi salubritatem Latinae dictionis amissam fuisse, ejusque in locum barbariem successisse, quae late adeo dominata est, & altis adeo defixa radicibus, ut nulla unquam vi labefactari posse videretur. Contigit tamen Italiae, ut, postquam ex Latina ipsa aliisque vicinioribus suam propriam linguam genuit, quae suavitatem Atticorum, & Romanorum majestatem aemularetur, prorsus respuerit barbarum illum ac ridiculum sermonem, in quo ne umbra quidem apparebat, non dicam aureae & argenteae, sed etiam ferreae latinitatis, quique per multa saecula usurpatus fuerat, atque in pretio habere coeperit scriptores illos, qui orationem suam elegantia aliqua aspergebant. Hac quidem in re princeps fuisse videtur Franciscus Petrarcha: flos tamen & color illi defuit, quaeque arripuit verba & sententiae ex Cicerone aliisque probatissimis scriptoribus passim junguntur dicendi modis, quos ipse formavit, & a quibus longe abest optima species & figura veteris Latinitatis. Omnium fortasse primus, nisi me fallo, urbanitate quadam quasi co-

loratae orationis exemplum dedit Angelus Politianus, cujus post tempora, beatoque illo Leonis X praesertim saeculo innumeri pene extitere, qui sive versibus, sive prosa scriberent, veterum elegantiam aequasse judicabantur. Ex hoc fonte praeclari dicendi praeceptores emanaverunt, & hoc vel ab eorum origine curasse videntur Jesuitae, ut Latini sermonis integritas servaretur, & ad omnes, si fieri potuisset, gentes propagaretur. Hoc sane plurimum illorum gloriae profuit, neque dubitare possumus, quin ex illorum ruina maximum Latinae litterae detrimentum acceperint. Id tu, Cardinalis amplissime, in omni sermone deplorare soles, dumque tempora recordaris, quibus quotidie fere esse consueveras cum Mazzolario & Lagomarsinio, qui omnes in urbe liberalissimis disciplinis affluente superare videbantur Latine scribendi elegantia, & in eorum eruditissimis sermonibus conquiescebas, satis aperte declaras vehementer te cupere, ut aliquis existat, qui eorum eximia in litteras merita historiae monumentis tradat. Quod dum praestare conabor, etsi tibi non plane

sa-

satisfecero, qui nil probare soles, quod non sit perfectum ingenio, elaboratumque industria, mihi quidem satisfaciam, qui me tibi maximorum beneficiorum vinculis obstrictum esse profiteor, nihil ut magis cupiam, quam tuae morem gerere voluntati, amorique, quo me ab ineunte adolescentia complexus es, aliqua ex parte respondere. Vale, & si stomachabere & moleste feres ea accidisse litteris atque Italiae, ut nunquam in tantas miserias incidisse videantur, me aliosque bene multos hujusce querimoniae & doloris socios profecto habebis. Noli enim putare, ne optima studia, virtutesque expostulent, & dolenter querantur se esse relictas. Iterum vale.

Pisis postrid. Kal. Februarii
MDCCXCIX.

HIERONYMUS LAGOMARSINIUS

Hieronymus Lagomarsinius origine Genuensis, ortu autem Hispanus (natus enim erat prid. Kal. Octob. an. MDCXCVIII. in portu S. Mariae, quo pater illius mercaturae faciendae gratia concesserat (*)) vel ab ineun-

(*) *Haec de se testatur in epistola, qua Volumen II. epistolarum Julii Pogiani nuncupavit Pontificiae ac Regiae Cervariensi in Catalaunia Academiae*; Ego, *inquit*, Italo quidem ac Genuensi patre, sed Hispana matre magni Portus Sanctae Mariae prid Kal. oct. an. 1698. natus, exacta ibidem infantia, pueritiam partim Gadibus, partim Hispali transegi, unde post patris obitum decennis in Italiam advectus,

te aetate cupidissimus litterarum fuit. Harum & religionis ergo, consiliisque Octavii patrui confirmatus, qui prudentia animos fingendi ad pietatem, veramque virtutem unus omnium maxime apud Jesuitas florere videbatur, horum Societati, cum quindecim esset annorum, nomen dedit. Posito tyrocinio, cum coepit studiis vacare, vincebat omnes diligentia; nam non contentus scholasticis exercitationibus, nocturna diurnaque manu versabat elegantissimos scriptores Latinos. Dedit & operam Graecis litteris, tantaque erat industria, tantumque evigilabat in studio, ut adolescens perpetuum commendationis & famae fundamentum jecisse videretur. Jussus Aretii elementa humaniorum litterarum tradere, quod per quadriennium praestitit, ut probaret se

non modo Hispanicam linguam, verum etiam civicam, ut ita dicam, erga Hispanos omnes caritatem mecum deportavi, sempeique retinui. *Post ejus in Italiam reditum Prat. in collegio, quod Jesuitae regebant, fuisse traditur.*

subtilem & elegantem esse grammaticum, ζητήματα discipulis suis persolvit, in quibus pertractandis sibi rem esse finxit cum quodam ludi magistro, artis, quam profitebatur, imperitissimo. Non verborum solum interpretatio, sed & historiarum, omnisque elegantiae cognitio ornabant ejus praecepta, quam ob rem Aretini si non parem illius ingenio, at pro suorum tamen studio meritam gratiam debitamque illi retulerunt. Non satis vero dici potest quantopere ii gavisi sunt, cum illis redux, expleto Romae Theologicorum studiorum curriculo, redditus fuisset, quibus, rhetoricam docens, magnum attulit adjumentum, ut non modo Latinarum litterarum rudes, sed etiam docti non parum se arbitrarentur adeptos & ad dicendum & ad judicandum. Idem quoque munus ad breve tempus Prati in Collegio, quod regebant Jesuitae, sustinuit, cumque ejus doctrina digna habita fuisset, quae majori theatro spectaretur, an. MDCCXXXIII. camdem artem rhetoricae publice coepit Florentiae docere. Homo, qui insulsitatem & insolentiam, tanquam insa-

niam quamdam orationis oderat, sanitatem autem & integritatem quasi religionem & verecundiam orationis probabat, sic instituebat discipulos suos, ut artem, quae verborum aut faciendorum, aut deligendorum scientiam profitetur, quaeque origo est eloquentiae, a Cicerone maxime discerent, atque ab hoc uno praecepta atque exempla ipsius eloquentiae peterent. *Cum ante annos ferme septemdecim* (in haec verba alloquebatur Florentinos (*)) *rhetoricam hanc artem docere institui, primumque sum auditores meos, florentissimos juvenes alloquutus, cum alia quaedam in hanc sententiam, tum illud dicere me ac commemorare memini, in quo animadverti universos maxime commoveri: Errare, si qui me rhetoricae magistrum fore arbitrarentur; habere eos jam inde ab institutis publicis scholis excellentissimum rhetorem, quo nunquam melior*

(*) In oratione prima pro publicis Scholis habita an. 1737.

extiterit, nec vero esset extiturus, M. Tullium Ciceronem. Hunc audirent, huic parerent, ad hujus se unius similitudinem conformarent; me, quamdiu tantus magister foret, non commissurum, ut vocem ullam meam de rhetorica arte mitterem, aut opus ullum meum ad imitandum proponerem: arrogantissimi hominis esse & non ferendi quidquam sperare se melius allaturum; itaque ab eo uno omnia cum praecepta, tum exempla peterentur, cujus & praecepta ea essent, ut ex optimarum vel Graecorum, vel Latinorum orationum animadversione praestantiora condi non possint, & orationes ejusmodi, ut nullis cujusquam vel optimis praeceptis possent absolutiores evadere: unum modo me illud de me polliceri, atque adeo praestiturum, ut ducem me ad illum adire volentibus praeberem, & quoniam aliena quadam lingua loqueretur, interpretis vice defungerer, & quae praeciperet, & quae ex praeceptis atque arte diceret explicarem: diligentiam, assiduitatem, fidem meam in hac una re pollicebar: magistrum me, neque fore, si maxime vellem, esse posse testabar. Haec

profecto non oratorio quodam more ad tempus caussamque, sed plane ex animi sui sententia vereque dixit. Nam in hoc instituto servando, quoad magistri munere defunctus est, constantiam & diligentiam prorsus mirabilem praestitit. Qua re non solum magnum utilitatis fructum attulit iis, quibus propositum erat ex Latinis litteris laudem quaerere, sed etiam illis, qui Italicas sic excolebant, ut vel quae legerant Latine, Etrusce redderent, vel imitando exprimerent illam praeclaram & eximiam oratoris perfecti speciem atque pulchritudinem. His autem saepe proponebat exemplum Christiani, ut ita dicam, Ciceronis illius exemplum, Paulli Segnerii, quem Ciceronis in Verrem orationes septem, quas habemus, non modo multum & frequenter, legisse, atque adeo descripsisse, sed etiam Etruscas fecisse, & ex illo aureo eloquentiae flumine plurima in rem suam traxisse constat. Si Lagomarsinium, qui sane noverat Etruscae linguae veneres omnes, non modo audivisses, sed etiam eos, qui Etrusce scribendi elegantia praestitisse viden-

tur, e quibus honoris gratia nominare lubet Leonardum Salviatum & Carolum Datium (*) ad hanc laudem obtinendam maxime conducere Latinarum litterarum scientiam facile judicasses. Idem tantam esse harum utilitatem, tantique faciendam Latii linguam, habita oratione quadam in studiorum instauratione, probavit, ut, qui huic vernaculas praetulerit in artibus & doctrinis tractandis, magnum his detrimentum sit allaturus. Nam quis tanta mentis acie praeditus reperietur, qui non animum plane despondeat, a studioque doctrinae deterreatur, ubi sibi, si quidem velit eruditionem peregrinam sibi comparare, praeter vernaculum omnes omnium scriptorum sermones esse cognoscendos intelligat? Nemo vero dubitabit, quin Italis salus, nomen, dignitas Latinae linguae maxime commendata esse vi-

(*) *Vide quae hic praefatus est ad I. Volumen operis, quod inscribitur:* Prose Fiorentine. *Suae sententiae hac de re confirmandae caussa ex Salviato ipso testimonium sumpsit.*

deatur, quod ex ea Itala originem traxerit, quod ex ipsius studio humaniores litterae, ceteraeque nobiliores disciplinae barbariem, qua in tanta exterarum gentium colluvione, in tam crebra dominorum mutatione, in tot tantisque rerum publicarum conversionibus infuscatae fuerunt, exuerint, quodque demum Italorum quodammodo proprium sit, ut ad veterum elegantiam tum in numeris adstricta, tum in soluta oratione quam proxime accedant (*). Quod Latinarum litterarum, ut ait Cicero, *solum & fundamentum* esse debeat, oratione ea per-

---

(*) *Bene quidem se res habuit dum Lagomarsinius vocem intendit ad utilitatem atque praestantiam commendandam Latinae linguae. At cum eo devenisset, ut probaret unam esse omnium linguarum atque eamdem vim ac naturam, neque ullam ulli sua ipsius dignitate, sed hominum opinione praestare, atque cetera inter Liguriae montanorum barbariem cum Etrusci sermonis nitore atque elegantia comparasset, magnos excitasse adversus se clamores testis est Menippeae I. Auctor.*

secutus est Lagomarsinius, quam pro grammaticis Italiae scholis exaravit, plurimum illos auctores commendans, qui Latinae linguae praecepta non Italico, sed Latino sermone conscripta atque edita tradunt. Multa is attulit argumenta (quam firma tu videris) ut eos, qui secus sentiebant, erroris convinceret, suique exemplum proposuit, qui Latinam linguam, non hujus modo, verum etiam Italicae plane rudis Latinis Alvari (*) praeceptionibus non plus biennio

---

(*) *Nunquam is mentionem fecit Alvari, quin summis laudibus extulerit ejus sanctitatem atque doctrinam, gloriansque de se affirmare solebat, nullum sivisse abire diem, quin aliquid ab eo didicisset. Ortum is habuit in Maderae insula an. 1526. ibique ingenue ac liberaliter educatus atque institutus fuit. Inde in Lusitaniam ineundae Societatis Jesu caussa an. 1546. venit, nec unquam postea e Lusitania, quoad vixit (vixit autem ad annum a Christo nato 1583.) pedem extulit. Fuit ille quidem magno ingenio, magna industria, magna Latini sermonis peritia, vix tamen illi ignoscendum videtur,*

didicisset. Validius, uti reor, patrocinium suscepit publicarum scholarum, de quarum utilitate tribus usque orationibus dum dixit, caussam & dixit optimorum studiorum, quibus multam quidem dandam esse operam, sed non multis alia oratione probavit. Ex his, atque illa, quam habuit in adventu Francisci III. Lotharingiae & Etruriae Ducis, gratulans Florentinis, quod sine armorum strepitu bellique calamitatibus talis illis obtigisset Princeps, qui Mediceorum gloriam esset aequaturus, constat volumen orationum ipsius, quae saepius typis impressae fuerunt. Ad politiorem enim elegantiam Latinorum verborum adjungunt plura oratoria ornamenta, quae faciunt, ut quodcumque docent, pure, aperte, copiose

---

quod de sola nominum, verborum, ac participiorum constructione quingentas ferme regulas non sine multis praeterea observationibus concinnavit, quas qui tenere cogatur, verendum est, ne rei difficultate perterritus grammaticae studium abjiciat.

composite, splendideque dici videatur. Perpaucos sane magistros invenisses, qui se tum Latinarum litterarum doctrina, tum diligentia in instituendis discipulis exaequare Lagomarsinio potuissent, cujus haec semper cura fuit, ut ii non tam humanas a scholis publicis litteras, quam humanitatem referrent. Quare de se confidenter dicere potuit, nec aestivis maximis caloribus, nec hibernis immoderatis frigioribus, nec quietis oblectamentorumque desiderio se ratardatum unquam fuisse, quin patienter, amanterque illorum utilitati consuleret, pro quo nullam aliam mercedem postulabat, nisi ut tantos suos labores grata memoria prosequerentur. Gravissime quidem tulit in illa ipsa urbe, cui magna se attulisse beneficia arbitrabatur, extitisse sui suorumque, rationisque, quam adhibebant in instituenda juventute, reprehensores acerbissimos, cui rei caussam dederunt L. Sectani Q. Filii ad Gajum Salmorium Sermones V. qui ob eorum elegantiam a Lagomarsinii, ejusque collegae Pompeii Venturii officina prodiisse putabantur. Nolo vulnera refricare, quae

hinc atque hinc clarissimis viris inflicta fuerunt, ea repetens, quae de tota hac quaestione pluribus in Joannis Lamii vita narravi. Errarunt illi quidem, qui Lagomarsinio illos Sermones tribuerunt, cujus omnis cura tum in illo versabatur, ut quidquid ipsi supererat temporis a publicis scholis, in nova Ciceronis operum editione paranda consumeret. Quotquot horum manu scriptos codices invenire potuit, sedulo inspexit, variantesque, ut ajunt, lectiones notavit, quibus menda, quae irrepserant in celebratiores editiones, ac Gronovianam praesertim, quam omnibus praeferebat, se emendare posse putavit, commentarios exaravit, tantumque sibi confidebat, qui omnem aetatem contriverat in hujus scriptoris operum lectione, ut quantum ex eorum nonnullis, quibusve ex locis intercidisset, se demonstraturum speraret. Tanti negotii exemplum dedit in epistola ad Jacobum Facciolatum, qua Ciceronis in L. Pisonem orationis principium, quo caremus, non minus ducentis & sexdecim versibus constitisse demonstratur; tum ex media circiter eadem oratione

non multo minorem versuum factam esse jacturam ostenditur. Haec grata fuerunt Facciolato, illa etiam gratiora, quibus pollicebatur se brevi ad illum missurum omnia, quae pertinebant ad primum orationum volumen, variantes scilicet lectiones & commentarios, ea mente, ut Patavii typis Seminarii imprimerentur. Datam amico fidem is minime solvit; edidit quidem octo post annos Venetiis Albizziniis typis illam ipsam orationem in L. Pisonem *ex editione Jacobi Gronovii cum omnium Florentinorum MSS. Cod. & priorum principum editionum variis lectionibus, deinceps suo quibusque loco interjectis .... Character scripturae duodecim Codicum MSS. in quibus Oratio in L. Pisonem descripta est, ex quibus variantes omnes lectiones depromptae sunt.* Ex hoc uno exemplo, si sic porro pergeret, intelligi potuit, tale suscepisse opus Lagomarsinium, cui si extrema manus accessisset, quod vix fieri posse putabatur, multorum illud magnoque pretio parandorum fuisset voluminum, nec defuerunt, qui eidem inculcarent, ne quae ille putabat

utilia, tot videlicet varias lectiones in medium proferre, eadem doctioribus videri pulcherrima; quare eligeret meliora, suamque industriam doctrinamque in eo poneret maxime, ut quae erant obscura patefaceret atque illustraret. Sed is in proposito semper mansit, quanquam nil aliud in lucem emiserit. Quae praetermitto de infinitis prope laboribus ab eo exantlatis, de amanuensium, de quibus saepe querebatur, negligentia, infidelitateque, de repetita eorumdem codicum lectione ob mutationem consilii, deque aliis hujusmodi rebus, mihi ad commemorandum non necessaria videntur, quod nullum ex ejusdem industria, summa licet, fructum retulerunt Ciceronis studiosi. Fama pervenit ad aures Josephi Oliveti Lagomarsinii lucubrationum in omnes Ciceronis orationes eo tempore, quo suas Parisiis edendas curabat, ac gratulari se dixit Italiae bonarum artium parenti, quod per homines egregios acceptam a majoribus suis Latinae facundiae hereditatem tanquam in sua sede collocatam retinere, & ad ceteras gentes propagare omni studio cura-

ret (*). Solebat autem Lagomarsinius de Cicerone suo ex se quaerentibus, ecquando tandem jam pridem, ac tam saepe ostensum atque promissum editurus esset, duobus versiculis respondere, altero Martialis hexametro, altero pentametro suo:

Sint Maecenates, non deerunt, Flacce, Marones,
Sit mihi Maecenas, non deerit Cicero.

Non dubito autem quin Maecenates invenisset, typographos etiam, qui suis impendiis Ciceronem a se illustratum essent edituri, si modum aliquem & finem variarum lectionum inquisitioni notationique (ducentos usque codices consuluisse traditur) fecisset. Nihilo tamen minus sua laus tanto labori debetur, & in eo quoque laudabi-

(*) *Vide ejus praefationem ad Vol. IV. operum Ciceronis.*

bimus Lagomarsinium, quod contulerit principes editiones Auctorum *de re rustica* cum codicibus Florentinis, rem ut gratam faceret Julio Pontaderae, qui de iisdem auctoribus iterum edendis cogitabat. Nec diligentiorem sane in his rebus quaerendis invenisses. Ferre vero haud poterat his suis laboribus illud genus reprehensorum opponi, qui Jesuitis omnibus bellum intulisse videbantur. Horum majus etiam odium fuit in Logomarsinium, quam antea fuerat, postquam in lucem prodiere Epistolae Atromi Traseomaci Calabri, nec non *Tractatus peregrinarum, recentiumque quaestionum* (sic enim liber inscribitur) *de Eruditione Apostolorum*, quorum scriptorum auctor esse putabatur Lagomarsinius ipse. His dum respondit Lamius, qui latens sub M. Thymoleontis nomine Menippeam I. alteramque satyram versibus Italicis exaratam jam vulgaverat, illa usurpavit: noli aculeos orationis meae, qui reconditi sunt, excussos arbitrari. quin te, omnesque eos, quorum maledictis sum violatus, acriter perstringam. Inter hasce molestias, quemadmodum

ipse narravit Ludovico Antonio Muratorio (*) quae in manibus adfecta atque inchoata habebat, deposuit, unice ut incumberet in curandam exornandamque editionem operis viri doctissimi elegantissimique Antonii Mariae Gratiani, cujus est inscriptio *de scriptis invita Minerva*. Universum opus constat libris omnino viginti, quibus de Burgi S. Sepulcri, quae urbs patria illi erat (**), historia, de suae familiae origine, domicilio, rebusque a majoribus gestis, de itineribus Aloysii fratris per Europae, Asiae atque Africae regiones, deque sui ipsius vita, cujus omne curriculum in litteris colendis, & in Catholicae Ecclesiae, Romanorumque Pontificum negotiis procurandis ab eo elaboratum fuit, copiosissime egit. Haec scripta invita Minerva se exa-

(*) In epistola nuncupatoria operis Ant. M. Gratiani *de scriptis invita Minerva*.

(**) *Natus enim illo loco erat* x. *Kal Novemb. an.* MDXXXVII. *obiit autem Ameriae* XII. *Kal. April. an.* MDCXI. *ejus civitatis Episcopus*.

rasse ait, ut morem gereret voluntati fratris amantissimi, quam etsi judicio suo praeferendam putaverit, vetuit tamen quae litteris mandaverat vulgari atque efferri, ne suis domesticisque rebus (fuit enim omnis virtutis cultor eximius) gloriari videretur, & ne nonnullorum invidiam offensionemque excitaret. Sane non mediocria fuerunt, quae contulit Lagomarsinius ad hoc opus augendum, undique monumenta colligens, quae narrata a Gratiano illustrare poterant. Nihilo tamen minus se quoque adnotationes suas *invita Minerva* scripsisse dixit, quasi id non voluntate sua, sed alieno efflagitatu fecisset. Mens quoque illi fuit, postquam ad manus ejus pervenerunt omnia Gratiani scripta, in lucem emittere hujus epistolas, emendare atque illustrare opera *de casibus virorum illustrium*, & de Commendoni Cardinalis vita, quae edita Parisiis multis erroribus commaculata fuerant, sed quae ad hanc rem magno labore paraverat, imperfecta reliquit. Quod multum tribuebat Gratianus ipse Julio Pogiano, nec satiari poterat in ejus epistolarum elegantia atque uti-

litate commendanda, tanti viri gravissimum judicium suis enarrationibus auctum Lagomarsinius in lucem protulit, ut omnes intelligerent a se bene ac praeclare operam collocatum iri, si de iisdem recognoscendis, ordinandis, illustrandis atque edendis curam suscepisset. Praestitit id cum multo suo sudore ac labore, stimulos addente summo Pontifice Benedicto XIV. quatuor usque voluminibus diversis temporibus Romae vulgatis: varietas autem negotiorum, quae suo & alieno nomine, cum pluribus Cardinalibus ab epistolis fuisset, tractare debuit Pogianus, & ea praesertim quae ad Concilium Tridentinum pertinebant, tam amplam segetem Lagomarsinio praebuerunt suae eruditionis promendae, ut ejus enarrationes aliquando ipsis epistolis sint longiores. Id enim maxime spectavit atque concupivit, ut sua, & quae Pogiani sunt, qui legeret, non multum desideraret historiam contextam illorum temporum. His adde Latini sermonis elegantiam, quam non minus in Pogiani epistolis, quam in Lagomarsinii enarrationibus admiraberis. Inter haec sae-

pe ad Ciceronem suum redibat, cujus caussa omnia cum cuperet, omnia etiam debere videbatur, ob toties datam fidem se plane muneri, quod susceperat, satis facturum. Hoc ut facilius praestare posset an. MDCCXLIV. solutus onere fuit publicas scholas habendi, ac toto illo septennio, quo post illud tempus Florentiae fuit, quoniam tantum habebat otii, quantum jamdiu sibi non contigerat, studio acriore in id ipsum incubuit (*). Ne autem iis careret subsi-

---

(*) *Consideranti tot Lagomarsinii labores in Ciceronem, hujus ad Atticum verba usurpare licebit:* Ω πραξεως καλης μεν, ατελες δε! *Ipse fortasse tacito corde consilium damnavit suum, quod in tot codicum, totque editionum varietatibus notandis operam consumpserit, neque famae tradiderit, quae ad vitam Ciceronis explicandam, & ad omnia illius scripta illustranda chartis consignaverat. Cetera inter pluribus egit de Planco, qui Ciceroni ipsi fuit perfamiliaris, vehementer improbans, quae de eo tradiderat Pratillius Canonicus eo in opere, quod de Vi*

diis, quae a Romanis bibliothecis parare sibi poterat, ad Urbem vocatus est, neve magnum onus illi imponerent Praefecti, Graecae linguae in Gregoriano Lyceo docendae mandatum dederunt, quam & docuit Jesuitas eos, qui philosophiae operam dabant. Quantum autem in hac quoque facultate valeret, ex eo cognosci potest, quod cum orta fuisset controversia inter Scipionem Maffejum, & Hermannum Samuelem Reimarium emendationum quarumdam caussa, quas hic in Dionem Cassium fecerat. Quirinius Cardinalis, qui ejus judex lectus fuerat, totam hanc rem Lagomarsinii judicio commisit. Quae hic litteris manda-

---

Appia exaravit. Extat ejus epistola ad Angelum Bandinium Canonicum dat. an. 1764 in qua senectutem & valetudinis incommoda dare sibi justam excusationem ait, quare minime edolaret, quae magna ex parte perfecerat, quaeque vehementer desiderabantur a Davide Runkenio, qui se curaturum promittebat, ut in Batavia typis imprimerentur.

vit, quaeque extant in Volumine XIV. *Historiae Litterariae Italicae*, sane declarant multam & diligentem operam illum in Graecis litteris addiscendis posuisse; multumque licet tribuerit Maffejo, quem decus atque ornamentum Italiae appellare solebat, plus apud eum valuisse veritatem, quam amici studium. Sunt & alia monumenta, ex quibus conjicere possumus, recte illum judicasse de omnibus illis generibus, quae sunt nobis litteris Graecis consignata. Nam si rerum a se observatarum Graecis in scriptoribus delectum reliquisset, facile quidem de illius in hoc genere doctrina omnes judicare potuissent. Sed is parum trahebatur laudis & gloriae studio, sibique, Jesuitisque suis, quam posteritati servire malle videbatur. Tanta charitate in eos ferebatur, ut extremos, quibus vixit, annos maxime consumpserit in quaerendis exscribendisque honorificis testimoniis atque praeconiis, quae iisdem hominibus impertita fuerant, ex quibus XV. usque magna volumina contexuit. Hoc remedio delinire fortasse se posse putavit dolorem suum, quo

dies noctesque affligebatur ob impendentem universae S. J. familiae ruinam, quam tanto malo dignam ii putabant, qui testes alios, judices alios quaerebant: plerique enim studio partium abrepti pauca ex veritate aestimant. Sed suspicione si qui erraverint sua, & proprios affectus in scripta sua transtulerint, horum judicio nil nos concedentes, illud tenebimus, innumeros inter Jesuitas extitisse sanctitate & doctrina clarissimos viros, multaque ab iis praeclare gesta fuisse, quae monumentis annalium, ac posteritati propagari merentur. Haec bono illis cesserunt, malo autem quod exaggerare, & ambitiose nimis efferre ea solerent, ut prae se ceteros contemnere viderentur. Hujus rei exemplum esse potest Lagomarsinii ipsius epistola ad amicum, in qua judicium tulit de aliquibus locis operis inscripti: *Noctium Sarmaticarum vigiliae*. Nam suo more elegantissime, salse etiam aç lepide, postquam multa protulit de Dragonetto quodam, qui falso tradebatur fuisse Alvaro praeceptor, perstringit Mauritium Francisconium, & Camillum Ni-

colium, homines, ut loquuntur, Scholarum Piarum, qui *Dictionarium*, *Rhetoricas institutiones*, & rudimenta Italicae linguae ad usum adolescentulorum vulgaverant. Haec scribens se vereri dixit, ne gravitatem illam antiquam suam posuisse videretur, sic ut discipuli sui, qui se severum potius, ac tantùm non tetricum experti fuerant, exclamarent: o quam ridiculum praeceptorem habemus! Mens ei erat, quoniam in vigiliis iis de poeseos & poetarum studio agebatur, plura hac de re scribere; sed perpauca attigit, quanquam haec artis quoque suae esse gloriari potuisset. Nam ex elegia ipsius de alea Januensi, atque ex poemate de fontium origine, quae sunt in manibus hominum, judicare possumus, quoties ei libuit, quod raro fecit, Latinarum Musarum limen intrare, has faciles & festivas habuisse. Quam recte vero de poeticis scriptis judicaret, exemplum esse potest longissima ejusdem epistola ad Scipionem Maffejum Marchionem, qua amice reprehendit similitudinem quamdam ab eo adhibitam, dum in Meropis tragoedia narran-

tem inducit, quae irato & percito animo dixit & fecit mater amantissima, quae se unico filio orbatam putabat. Haec ferme sunt studia exercitationesque, in quibus Lagomarsinius totam vitam occupavit. Produxit hanc ad LXXV. usque annum. Nam podagrae, quae pectus occupaverat, cuique urinae difficultas accedebat, doloribus vehementissime vexatus, in quibus tolerandis homo, qui ab ineunte aetate didicerat voluptates omnes contemnere, virtutem colere, & in labore patientiaque animum & corpus exercere, constantiam summam prae se tulit; placide sedateque mortem oppetiit (*) XV. Kal. Junias an. MDCCLXXIII.

(*) *Ad extremum usque spiritum ipsum retinuisse illa studia, in quibus a pueritia vixerat, ex eo conjici potest, quod adstanti dixit, se etiam hac de caussa appetere mortem, quod sperabat in caelo se beatum fore cum Perpiniano, Alvaro ceterisque Jesuitis, qui Latini sermonis elegantia floruerant.*

OPERA EDITA

Risposta di Golmario Pepugies Marsigliano Maestro nella Città di Clusiadepoli a una Scrittura Critica del Sig. NN. maestro nella medesima città: in Trevigi 1723.

Vita di S. Fermano Abate dell' Ordine di S. Benedetto, descritta da Golmario Pepugies Marsigliano: in Trevigi (in Lucca) 1726. *Hanc ipsam vitam saeculo XI. Latine declaraverat Theodosius quidam Monachus, cujus scriptum cum ad manus Lagomarsinii pervenisset, illud ipsum illustravit & auxit.*

Aleae Januensis Romae traductae ratio, elegia, auctore Golmario Marsiliano. *Extat in Vol. XII. collectionis Calogerianae.*

Ad virum clarissimum Jacobum Facciolatum epistola, qua quid in M. Tullii Ciceronis contra L. Pisonem oratione interciderit, demonstratur: *data est Florentiae XVIII. Kal. Decembres an.* 1733. *Extat etiam in volumine, quod inscribitur:*

Hieronymi Lagomarsinii e Societate Jesu Orationes septem editio sexta retractatior & auctior: Romae 1753. typis Generosi Salomoni.

M. Tullii Ciceronis oratio in L. Pisonem ex editione Jacobi Gronovii cum omnibus omnium Florentinorum MSS. Codd. & priorum principum editionum variis lectionibus, deinceps suo quibusque loco interjectis . . . . character scripturae duodecim codicum MSS. in quibus oratio in L. Pisonem descripta est, ex quibus variantes omnes lectiones depromptae sunt: Venetiis 1741. typis Albriziniis.

Enarrationes ad opus Antonii Mariae Gratiani, quod inscribitur: *de scriptis invita Minerva*: Vol. II. Florentiae 1745. 1746. ex typographio ad insigne Apollinis in 4.

. . . . ad epistolas Julii Pogiani. *Quatuor constat opus voluminibus Romae editis a Generoso Salomonio annis 1756. 1757. 1758. & 1762.* in 4.

Lettera al Sig. Marchese Scipione Maffei in lode della sua tragedia intitolata la Merope colla critica di un passo di essa, in cui si adopra questa similitudine:

Qual rondine talor, che ritornando
Non vede i parti, e trova rotto il nido,
Ch'alto stridendo gli s'aggira intorno,
E parte e riede, e di querele assorda.

Extat in Vol. XIV. operis, quod inscribitur:

Storia letteraria d' Italia. *Hoc ipso in volumine extat etiam*

Epistola ad Angelum Mariam Card. Querinium de Dionis Cassii loco, de quo Hermanno Samueli Reimario illius historiae editori cum Scipione Maffeio non conveniebat.

De Fontium origine poema: Venetiis 1749. *Huic manus extrema minime accessisse videtur: illud tamen vulgandum curavit Ignatius Ludovicus Blanchius e Theatinorum familia.*

R. P. Hieronymi Lagomarsinii Soc. Jesu epistolae ad amicum exemplum, in qua judicium fertur de aliquot locis operis inscripti NOCTIUM SARMATICARUM VIGILIAE, ex typis Brusbergensibus & Varsaviensibus an. 1751. editi: editio post Polonicam & Germanicam tertia: Bononiae apud Laelium a Vulpe 1753. in 8.

ANGELUS FABRONIUS

ALOYSIO LANZIO

S. D.

Saepe & multum hoc mecum cogitavi, unde factum, ut, cum Parisiis an. MDCLXIII. *Ludovici Magni Regis jussu instituta fuisset Academia ad inscriptionum Latinarum stilum excolendum, pauci tamen e Gallis hac laude floruerint, cum e contrario ex Italis nostris plures patrum atque etiam majorum memoria, plurimi vero nostra extiterint, qui gloria multa in hoc scriptionis genus incubuere. Fortasse non is erraverit, qui quidquid Latinum est, nostri juris esse affirmaverit, quod ab iis originem duxeri-*

mus, quod in iis terris habitemus, in quibus tot sunt veterum Romanorum impressa vestigia, quod vel iis temporibus, quibus barbaries omnia infuscaverat, Latini sermonis usum retinuerimus, quodque ex eo nostratem linguam formaverimus, quae tantum abest, ut ex iis propinquitatis vinculis, quibus matri conjuncta est, laxari aliquid velit, ut clamare non cesset, actum fore de dignitate Etruscarum litterarum, si obsoleverint studia Latinarum, nec ad perfectam Etrusci scriptoris laudem eum aspirare posse, qui non noverit quantum utilitatis non ex notitia modo, sed etiam ex usu & exercitatione Latini sermonis percipere possit. Quod ad inscriptiones vero attinet, de quibus hic a nobis institutus est sermo, quia eae respuere videntur non nostratem modo, sed & omnem recentiorem linguam (*), La-

---

(*) *Multum & acriter disputatum aliquando fuit a Gallis, num in inscriptionibus praeferenda semper esset Gallicae Latina lingua; qua in disputatione philosophus nescio quis hanc modeste*

tina unice gaudentes, quae majestate inprimis commendatur, qui in hoc scriptionis genere exercere se cupiunt, magnum sibi subeundum esse laborem judicabunt, ut priscum leporem, & Romanam gravitatem imitando ex-

---

protulit sententiam. Je crois, que l'inscription doit etre tantôt en François, tantôt en Latin, selon les circostances du temps, de l'objet & du lieu, selon les idées qu'on voudra reveiller de preference; enfin selon le moyens que une de deux langues fournira pour exprimer avec plus de precision & d'energie ce qu'on se propose de dire. Ce mots: *Luis XII. Pere du Peuple*, mis au bas d'un Statue de ce bon Roi dans un marché public, seroient bien prèférables, ce me semble, à *Ludovicus XII. Pater Populi*, & la belle inscription qu'un de nos Colonels avoit mise sur les drapeaux blancs: *Victoria tinget*, n'auroit pas eu la meme beauté en François: *la Victoire le teindrà*. *Facile quidem dixeris omnes articulos enervare vim inscriptionum*.

exprimant, omneque id teneant, quod ad populi quondam terrarum domini mores, atque instituta pertineat. Qui his vestigiis minime insistere, derideri merentur, ad quorum insulsitatem frenandam optandum sane esset, ut edicto caveretur, ne quid unquam in aes, aut marmor incideretur, quod non antea lecti doctique judices cognovissent, iidemque probassent, quorum judicium si ii declinassent,

Quorum stultitia quaestus impudentiae est,

poena aliqua afficerentur. Fuit profecto aliquando tempus, quo non solum optimae Romanorum inscriptiones contemnerentur, quanquam ex iis lucis plurimum ad illorum historiam illuminandam, ad temporum rationem stabiliendam, ad clarissimorum virorum intermortuam memoriam revocandam & ad copiam Latini sermonis augendam, hauriri possit, sed etiam novae conderentur nulla lege, nullaque cura, nisi ut ne quid ex veteri stilo retinerent, locum ut darent dicendi modis aut ex faece sumptis, aut pro

cujusque ingenio procusis, atque argutiis inanissimis, quas dum legimus exclamare cogimur: o saeclum insipiens & inficetum! Roma dum florebat aequis legibus, & Latinus sermo assecutus jam fuerat maturitatem quamdam suam, si qui rudes fuissent ad hoc scriptionis genus, operam & studium egregii scriptoris requirebant. & vel ii, qui litterarum gloria praestabant, inscriptiones a se confectas non ante in publico proponebant, quam aliorum essent judicio comprobatae. Tali modo Decimus Brutus, qui bene facere Reipublicae, quam bene dicere gloriosum magis putaverat, Attii poetae carminibus, teste Tullio, templorum ac monumentorum aditus exornavit suorum; Cn. vero Pompejus, qui non minus rei militaris scientia, quam scribendi elegantia claruit, quanquam ad theatri sui dedicationem titulum ipse condidisset, tantum sibi non tribuit, ut intelligentium judicia contemneret; cumque ambigeretur, utrum Consul tertio, *an* Consul tertium *inscribendum esset, eam rem exquisitissime, ut Tiro apud Gellium loquitur, retulit ad doctissimos civitatis, atque ad ipsum M. Tul-*

lium. Hic quoque, cum aedis Telluris curator esset, ad Pompejum se venisse, & cum eo non de operibus solum, sed etiam de inscriptionibus egisse testatur. Sunt testimonia alia plurima, ex quibus apparet maxime studuisse Romanos veteres, ne quid inesset in inscriptionibus, quod nec indocti intelligere possent, nec docti legere curarent, cujus elegantiae studium mansisse videtur ad Philipporum usque Caesarum aetatem: nam quamvis non omnino repudiandae sint inscriptiones, quae ad Juliani Aug. aut etiam ad Theodosiorum utriusque tempora pertinent, quippe quae umbram quamdam populi Romani majestatis retinent, earum tamen oratio turget fere & inflata est, a quo vitio anteriores omnino abfuerunt. Quorsum haec inquies, te praesertim alloquens, qui eruditione praestas, quique in hoc scriptionis genere nil proferre soles, quod aureae aetatis elegantiam omni ex parte non prae se ferat? Fateor equidem atque etiam profiteor, etsi non sus, ut est in veteri proverbio, Minervam docuerim, me tamen inepte fecisse, quod Minervam docuerim; sed quia, te

etiam hortatore, onus suscepi declarandae vitae Guidonis Ferrarii, qui in exarandis inscriptionibus ad elegantiam Latinorum verborum adjunxit omnia illa ornamenta, quibus veteres suas vestire solebant, quique & exemplis & praeceptis id maxime curasse videtur, ne Itali sui elati cupiditate omnia novandi ab eo dicendi genere discederent, quod non in opinione positum est, sed quod continet in se naturalem quemdam & non fucatum nitorem, quodque probari ab omnibus iis debet, qui teretes aures habent intelligensque judicium, bona venia te auditurum putavi pauca haec, quae de inscriptionibus praefationis loco disserui, antequam ad rem propositam venirem. Majora qui cupiat (non enim tantum nobis tribuimus, ut oratio nostra ad praecipiendi rationem dilabatur) adeat Morcellii opus de inscriptionum stilo, quo nullum majus tum elegantia, tum judicio in optimis eligendis, tum praeceptorum utilitate unquam prodiit, & sane mirabitur hominem, qui non sibi soli gloriam quaesivit, tot editis ingenii sui & elegantiae monumentis, sed eam communicare voluit Ita-

lis omnibus, docens quid sequi eos oporteat, ut in sua sede ac regno maneat Latinarum litterarum dignitas. Illud ad extremum te & oro & hortor, valetudini ut consulas tuae, atque incolumis ad nos redeas, liberans, quam dedisti fidem, ut per te illustrentur multa monumenta Graecorum atque Latinorum, quibus ornatur Pinacotheca Florentina. Vale.

Pisis prid. Kal. Februarii
MDCCXCIX.

GUIDO FERRARIUS

Guido Ferrarius Novariensis. Scripsit ipse de se rebusque suis Francisci Gemelli elegantissimi hominis rogatu commentarium, quod ei minime obtrectationi fuit. Nam, ut ait Tacitus, plerique suam ipsi vitam narrare fiduciam potius morum, quam arrogantiam arbitrati sunt. Is in lucem hominum venit V.II. Id. Febr. MDCCXVII., gloriosumque illi fuit, quod ea progenitus fuerit familia, quae Venetiis aliquando clara, jam inde ab an. MCCXIX. inter principes Novarienses numerabatur, tali autem patre (huic Oliverii nomen erat) qui, cum functus fuisset amplissimis honoribus sub Carolo VI. Caesare, & Carolo Emmanuele

Sardiniae Rege, iis dignissimus habitus est ob animi virtutisque magnitudinem. Postquam Guido in patria a Jesuitis grammatica institutus fuit, Savonam venit, ut eo in Collegio, quod ipsi homines regebant, gravioribus litteris imbueretur, tumque consilium cepit eorum Societati nomen dandi, cui exequendo illud unum obstare videbatur, quod in eo erat infirmitas corporis, procerum & tenue collum, qui habitus non procul abesse videtur a vitae periculo. Ceterum ad ornandum animum omni genere doctrinae atque virtutis erat paratissimus, cujus studii vel a puerili aetate illustria dederat exempla. Cum tiro esset Genuae, facile ipsos virtutis magistros in admirationem sui traxit; vota autem post biennium emisit, quo facto, annum rhetoricae, biennium vero philosophiae Mediolani operam navavit. Nondum hujus studii cursum expleverat, cum missus est Novocomum ad humanitatem, ut ajunt, tradendam. Forte tum ad manus ejus pervenit Lucretii Cari poema de rerum natura, cujus lectione mirabiliter delectatus, dilatare se posse puta-

vit, quae is de luce tradiderat, & in multis quamvis is haereret, (non enim noverat mira hac de re Newtoni inventa) haud pauca tamen excogitavit, quae ingenii acumen declarabant. Natura illum ad poesim formaverat (nam vel antequam Societatem Jesu iniret, poema versuum trium millium trimestri spatio de expugnatione Tauruni in Eugenii Principis laudes excurrens condiderat) cujus studium nunquam licet intermiserit, non tamen sic excoluit, ut per illud famam colligere velle videretur. Quas Novocomi, easdem postero anno Ticini, postea Mediolani scholas habuit, deinde Ticinum rediit rhetoricam docturus. Tum orationem dixit de arte critica, quae est in manibus hominum, & ex qua judicari potest illius stilum maturitatem quamdam nondum assecutum fuisse. Coepit deinde Augustae Taurinorum theologicis studiis vacare, quorum curriculum Mediolani confecit addictus Nobilium Collegio, praefectusque iis datus, qui philosophiae operam navabant. Quid praesertim concupisceret, omnes tum videre potuerunt. Nam

postquam de vita Joannis Caesaris Brusati, hominis elegantissimi, quocum familiarissime Ticini vixerat, commentariolum exaravit, belli Pannonici per Eugenium Principem feliciter gesti historiam scribere aggressus est, quam tanti fecit Julius Caesar Cordara vir oratione maxime limatus & subtilis, ut eam Romanis typis edendam curaverit. Magna Latini sermonis elegantia, quae ad cultissimos Romanae historiae scriptores proxime accedit, narrantur fusi hostium potentissimorum exercitus, captae arces natura & opere munitissimae, juncta pontibus flumina ingentis alvei, longe prolati fines Austriaci Imperii, tota demum in potestatem Augustae domus redacta & pacata Pannonia hominis unius maxime virtute, in quo etiam si multi cum illo contendissent, tamen omnes facile superasset. Per haec Ferrarius elegantissimi scriptoris famam consecutus est; studiis vero hominis amicissimi & collegae ut responderet, cum ab eo accepisset sermones quosdam Latinos, de quibus mentionem feci in Jo. Lamii & Hieronymi Lagomarsinii vitis, dedit operam,

ut emendati ad hominum manus pervenirent (*). Adolescens non tam re & voluntate, quam spe & expectatione plurimum laudatus, postquam ex Jesuitarum instituto

(*) *Digna sunt, quae exscribantur narrata a Ferrario ipso de his sermonibus, qui tot rumores excitarunt, totque falsis suspiciones genuerunt*. Est, *inquit ille*, cur rem aperiam, quam fortasse nemo, aut certe perpauci norunt. Is confecerat annis superioribus, animi ergo, sermones quatuor: confecerat autem per jocum admirabili illa celeritate scribendi, qua incredibiliter praestat, ut Jesuitae cujusdam collegae sui & amicissimi festivius ingenio illuderet, qui eruditionis omnigenae nomine videbatur leviuscule delectari, eamque crebris obtrudebat sermonibus. Ejuscemodi lepide caput illis satyris Cordara perfricuerat, quae de manu in manus ignoto auctore pervagatae denique editae fuerant L. Sectani Q. Fil. nomine, cum scholiis omnino temperatis. Magna ubique exceptae gratulatione fuerant, sed multiplicatis editionibus inauspicato fuerant additae judicii vacuae, arrogantiae plenae enarrationes quaedam a Marco nescio quo Philocardio, quem

Aronae tertium tirocinii annum confecit, destinatus fuit ad rhetoricam docendam in Mediolanensi Lyceo, quod onus egregia licet animi alacritate susceperit, commove-

---

Cordara ipse multos post annos mihi sancte confirmavit, quis ille fuerit, minime sibi ad illum usque diem esse perspectum; usque adeo latuit verum enarratoris nomen Harum importunitas notationum, quae veluti fimbriae fuerunt adjectae, incredibilem conflarant invidiam Cordarae sermonibus. Nonnulli enim docti in Etruria praesertim viri offensos se rati, quasi in eos auctor satyras effudisset, rem acerbissime tulerunt. Cum earum ignoraretur scriptor, plures in suspicionem vènerunt. In illos igitur facti nescios, & in Societatem immerentem libelli, contumeliaeque infinitae jactae sunt, quae deinde Cordarae argumentum praebuere quinti, & sexti sermonis. Sed tantum jam in satyras illas odium, vel indignatio potius Philocardii intemperantiae causa fuerat concitata, ut visum fuerit non aliter restingui prudenter posse incendium, nisi satyrarum libro, aucto Philocardianis enarrationibus, oppresso, & per Romanum Indicem confixo.

batur tamen loci celebritate, & clarissima civitatis luce, praesertim cum res nulla esset, de qua dicendum esset vel ad publicum gaudium, atque luctum declarandum, vel ad virtutem laudandam, quae ad Braidenses rhetores non deferretur. Munus quidem suum ita gessit, ut quae prudenter, scite & litterate praescripsit ad exacuendam discipulorum industriam, ad eos alliciendos spe praemii, deterrendosque poenae metu, inflammandosque non tam doctrinae, quam virtutis studio, omnes summis laudibus extulerint, nullumque recusaverit onus, quod sibi vel publice, vel privatim imponeretur. Hinc tot mortuorum laudationes, tot inscriptiones, quae ad opera publica, & monumenta illustria, ad gratulationes & adventus publicos, ad pompas funebres & solemnes, ad oppida, ad vota, ad legata, ad fastos, ad epitaphia funebria, ad monumenta privata, & alia hujusmodi plura pertinent, in quibus omnibus veterum Latinorum elegantiam te intueri facile judicabis. His rebus sane effecit, ut omnes mirabiliter de illo & loquerentur

& sentirent, quodque intelligebat se tantum posse in illo scriptionis genere, ut quidquid vellet · breviter eleganterque explicaret, se rogari passus est, ut summorum Regum res gestas virtutesque, omnemque vitae rationem, quibus declarandis vix satis esse posse videbatur multorum versuum historia, brevibus inscriptionibus complecteretur. Munus hoc praesertim persolvit Carolo Emmanueli Sardiniae Regi, & Mariae Theresiae Augustae, quos homines, in quibus perpetuum studium fuit non minus colendae, quam ornandae virtutis, ad hujus saeculi ornamentum & decus natos dixisses. Quoniam vero fuit quaedam hujus feminae fortuna fatalis, ut ad sua tuenda cum fortissimis & potentissimis hostibus sibi diu belligerandum fuerit, quos adhibuerit Imperatores tertio praesertim bello Borussico, imitatus Cornelium Nepotem, separatim exposuit Ferrarius eo in libello, quem de vitis quinque Austriacorum Imperatorum Braunii scilicet, Daunii, Nadastii, Serbellonii, atque Laudonii inscripsit. Daunii etiam laudes celebravit in ea, quam dixit, oratione de victo-

ria Boemica, quamque mira elatus laetitia biduo se exarasse affirmavit. Hujus autem, aliorumque Austriacorum ducum magis magisque ut virtus appareret, tribuit & praeconia hostilis exercitus ductoribus, & summo illi imperatori Friderico II. Regi, qui omnium judicio post res tot domi bellique praeclare gestas Magni cognomine dignus habitus est. Quod in summo imperatore quatuor has res inesse oportet, scientiam rei militaris, virtutem, auctoritatem & felicitatem, nullum fortasse reperiebat Ferrarius, qui his laudibus contendere potuisset cum Eugenio Principe, quodque eas celebrans famam & ipse collegerat, materiem dignam facultate & copia sua putavit, si, postquam belli Pannonici ab eo gesti historiam exaraverat, narraret etiam ea, quae ad bella Italica, Germanica & Belgica pertinebant, sicque expleret, quod tanti viri historiae deesse videbatur. Etsi illa, quae declaranda susceperat, multorum celebrata linguis & litteris fuissent, novo tamen ornatu ac cultu vestivit, ut omnino novam legentibus jucunditatem afferre possent. Pro-

fecto is expers esset litterarum, qui minime oblectaretur brevi & illustri narratione rerum magnitudine & varietate omni memoria dignissimarum, quique minime admiraretur prudentiam scriptoris in consiliis, actis, eventibusque explicandis, neque gustaret comptam, nitidam, & ad veterum Latinorum exemplar plane limatam & expolitam locutionem. Haec ut assequeretur Ferrarius, multo labore, multisque exercitationibus obtinuit, neque eum hoc tantummodo nomine laudabimus, quod elegantissime Latii lingua usus fuerit, sed etiam quod omni cura studuerit, ut perpetuo salva & florens esset, quae tametsi communis omnium gentium dicitur, proprio tamen ac certo jure nostra est, utpote in hoc solo nata, in eodem postea restituta, & nostrorum maxime sedulitate & industria in hunc splendorem, ac dignitatem provecta. Comparaverat etiam sibi magnam politicarum rerum, & illius juris, quod publicum dicitur, scientiam, sine qua historia manca & imperfecta esset, quantumque illa abundaret, quibusque ex fontibus ipsam hausis-

set, pluribus probavit orationibus, quas summa omnium ordinum frequentia in instauratione studiorum publice habere solebat. Sicut unus paterfamilias, postquam de optima gubernatione Reipublicae, deque optimo civitatis statu dixerat, vel de iis rebus disseruit, quae conducebant ad privatam & domesticam rem bene administrandam, omninoque voluisset, ut qui maxima imperia ceperant & gerebant, quique domibus praeerant, scienter uterentur iis praeceptis, quibus publica & privata felicitas continetur. Quae praecipiebat discipulis suis, ut pure & Latine scriberent, deinde ut plane & dilucide, tum ut ornate, post ad rerum dignitatem apte & quasi decore, his orationibus expressit, utque iidem, quae agenda sunt in foro, tanquam in acie, possent etiam exercitatione quasi ludicra praediscere ac meditari, exemplum iis proposuit quarumdam actionum, quas in politicas, asceticas & scholasticas divisit. Omnes sive artis locos, sive ingenii cujusdam atque prudentiae diligenter contemplabatur, ac sententiis verbisque, quae sunt cujusque generis maxime illustria, vestire adlaborabat,

rabat, quae ut subirent sub acumen stili, scribendi exercitatio efficiebat: bene enim Cicero: *stilus optimus est & praestantissimus dicendi effector, ac magister*. Ex his autem actionibus, ut unam rem exempli caussa ponamus, Eugenianam, quae ceteris praestat, commemorabimus. Anno millesimo sexcentesimo nonagesimo septimo Eugenius Princeps a Leopoldo Caesare dux praefectusque factus exercitus, quo a Pannonia repelleret Turcarum regis conatus, qui manum centum & amplius armatorum millium comparaverat, postquam multa fortia & praeclara gessit, coegit hostes iter in Transylvaniam convertere. Hi dum Tybiscum transire conabantur, eo incredibili celeritate advolavit, spretisque litteris, quibus a bellico Viennensi Concilio jubebatur a praelio abstinere, praelii signum dedit, conflixit, vicit, barbarorum caesis ad triginta millia. Cum Viennam rediisset, quoniam tanto viro inimici deesse non poterant, accusatus est, quod contra imperium fecisset. Itaque acta est caussa, cumque in eo essent judices, ut illum de spreto imperio

reum facerent, ipse epistolam Caesaris, qui eum salvum cupiebat, protulit (data haec esse simulabatur, antequam in Pannoniam proficisceretur) qua illi permittebatur summa potestas belli administrandi, uti visum esset. Tali modo judicio illo absolutus fuit, omnesque felici illius diei successu ipsi gratulati sunt. Haec & similia dum in publico proponebat Ferrarius, aderat nobilitatis & juventutis flos, omnesque delectabantur novitate, elegantia & copia. Rhetoricae magistri munus in Braidensi athenaeo totos annos undecim tenuit, in quo exercendo laterum infirmitas, imbecillitasque corporis animi vires minime retardarunt. Illas tamen propter susceptum onus deponere coactus fuit, tumque illi mandarunt Societatis Praefecti, ut pergeret porro valetudini suae consulere (consulebat autem diligentia, & parsimonia in victu) & quod concedebatur otii in scribendo consumere. Illud addidere cohortando unum, ut ne in asceticis juventuti deesset, quae frequentabat Academiam, quod facere semper studuit. Nam ad extremum usque spiritum ejus provectum

est studium homines de pravitate animi deducendi, confirmandique in proposito Christianae virtutis cultores. Celebritate famae cum esset jam absentibus notus, per litteras Migatii Comitis sensit se Viennam propediem accersitum iri, ut historiam belli conscriberet, quod tum satis feliciter gerebatur adversus Fridericum Borussorum Regem, quoque nullum illustrius fuit, tum temporis diuturnitate, tum virtute ducum, tum demum fortunae varietate. Totus tum erat in absolvendis Eugenianis Commentariis, quos e manibus deposuit, ut in epitomen redigeret, quae a belli initio ad Pragense usque praelium acciderunt. Commovebatur tamen rei magnitudine, ac metu, ne Jesuitae sui periculum susciperent ob ea, quae de Borussorum Rege dicturus erat, quanquam caverit semper, ne ex suis dictis aliquis offensionem exciperet, & ne frigidioris caeli temperie suae valetudinis imbecillitas augeretur. Accedebat, quod moleste tulisset se a Mediolanensibus suis sejungi, in quorum perspectissima benevolentia prorsus acquiescebat. Id ne accideret, fecerunt

officia plena suavissimi studii, quae a Firmiano Comite, qui tum venerat ad Mediolanensem provinciam Theresiae Augustae nomine gubernandam, obtinuit, qui magni interesse putavit ad decus & laudem civitatis, ne tantus vir alio migraret. Multa interea adversa evenerunt, ob quae tota res illius belli historiae conscribendae refriguit, qua cura solutus Ferrarius de inscriptionum suarum editione consilium cepit. Cepit autem, ut magna se liberaret molestia, quod id multi exigere magis, quam rogare videbantur, ut exempla haberent, quae imitarentur in magna varietate rerum, quas hoc scriptionis genere posteritatis memoriae mandare solemus. Habuerunt eae tantum commendationis, ut ille hujus artis magister Stephanus Antonius Morcellius exempla ex iisdem petierit ad edicta & fastos conscribendos (*), eas Ferrarii elegan-

(*) *Vid. opus, quod inscribitur*: de stilo Latinarum inscriptionum, *Romae vulgatum an.* 1781. pag. 350. 352. 375. *Scripsit autem Ferrarius fastos*

tiae tribuens laudes, ad quas perpauci, ipso judice, pervenire potuerunt. Cujus judicii non illum poenituit, quamvis extiterint, qui hoc notari posse in Ferrario contendebant, quod non verba rebus, sed res verbis servire interdum coegerit, quod nova verba procuderit, quod exigui momenti res aliquando illustraverit, quod antithesi nimium frequenter indulserit. Hujus reprehensionis illae valebant apud ipsum excusationes, se nova verba, analogia duce, adhibuisse, cum dignitates & munera Romanis ignota exponere debuit, tenuia tractasse, ut alliceret discipulos ad hoc scri-

---

rerum a Venetis gestarum Peloponesiaco bello, quod ad bellum Franciscus Maurocenus imperator delectus fuerat. Is fortasse omnium primus inscriptionum exemplum proposuit, quibus non modo unius Principis, vel Ducis gesta non longi temporis intervallo narrantur, cui rei exemplo esse potest Ancyranum monumentum praeclara Augusti facta complectens, sed etiam tota vita declaratur magni alicujus Regis, quod feliciter illi successit.

ptionis genus excolendum, antitheses saepe veterum exemplo conquisivisse, quod illae plurimum conducant ad legentium animos percellendos, memoriamque juvandam. Haec se secutum esse, probarique ab iis, qui sine invidia judicabant, vehementer sane gaudebat, quodque magna ei erat inscriptionum copia, has in classes distribuere, novisque augere cogitavit. In hoc dum elaborabat, fore plerosque existimavit, qui a se exigerent, ut rationem redderet earum rerum, quas de antiquitate nonnullorum oppidorum, quae sunt in Insubria, affirmaverat, ex quo enatae sunt dissertationes plures, quae non solum oppidorum illorum, sed & Insubrum omnium non bene explicatam originem patefaciunt. Non pauca etiam de familiis, quae illis dominatae sunt, tetigit, notans, qui, a quibus orti, quos honores, quam potestatem, quibusque temporibus cepissent. His accesserunt dissertationes de Hercule, Novariae, ut putabatur, conditore, deque ejus in Insubriam adventu, quae multo plura afferunt, quam legi fortasse apud quemquam

possint. Haec & alia hujusmodi erant exercitationes ingenii hominis, qui vel cum amicis rusticaretur, vel in optimis curis suorum munerum versaretur, nullum praetermittebat tempus se aliosque juvandi. Multam tamen moram iis absolvendis, quae inchoaverat, attulit gravis ille & miserabilis casus, quo perculsa concidit Societas Jesu, quemque sic doluit, nullo ut solatio levari posse videretur. Praefectorum permissu invenit perfugium in Modoetiensi ephebeo, quod rexerant Jesuitae tanta commendatione famae, ut de ejus celebritate actum fore censuerint ipsi Praefecti, si iidem loco moverentur. Atque hic constitit minuta fortasse nimis rerum suarum narratio, de qua initio diximus, cui ne quid deesset, de ejusdem obitu & moribus commentariolum addidit Franciscus Ricca, quod ad Angelum Mariam Durinium Cardinalem misit, cujus honori ac meritis dèdicare Ferrarius ipse sibi proposuerat, quam parabat, quamque instituerat, scriptorum suorum editionem. Amavit enim semper hominem liberalissimis studiis affluentem, & ab eo plurimum di-

lectus est, cujus dilectionis indicia esse possunt Latina carmina, in quibus scribendis multum sane Purpuratus ille valebat, quae amicissimi capitis cineribus consecravit. Habitabat ipse non longe a Modeotia, & illum se amisisse diem putasset, quo cum Ferrario suo de communibus studiis minime locutus fuisset. Interdum etiam verbosiores ab eo eliciebat epistolas, magnoque se illi beneficio obstrictum putavit, quod ab eo dialogum obtinuisset Statuarum, quibus Mirabellianum suum ornaverat, tenue, sed lepidum opus, quo scriptor ipse plurimum delectabatur, quia illi perficiendo vix parem se crediderat ob effervescentis & prope effoetae phantasiae vim. Auctor est Ricca eodem tempore tum narrationem de insigni sicario, qui oras Verbani lacus diu vexaverat, tum plures diversi generis inscriptiones ipsum exarasse, & minuscula fortasse alia, ut rem gratam amicis faceret, quos studiosissime colere solebat, utque otium suum oblectaret. Nam a scriptione nunquam cessavit, quanquam biennio antequam moreretur, stranguria, & scyr-

rho mesenterii regionibus adnato, laborare coeperit, qua in aegritudine vir patientissimus id dolere unum videbatur, quod fas sibi, ut antea, non esset religiosis officiis vacandi, & studiis obsequendi suis. Favit illi Deus, quod nulla dolorum atrocitate, nulloque impendentis mortis terriculamento vitae cursum expleverit, quod accidit III. id. Januarii an. MDCCXCI. Magnum sui desiderium reliquit, quasi, illo extincto, nullus futurus esset, qui dignitati Latinarum litterarum esset consulturus. Habebunt certe quo se oblectent posteri ejus scripta, ac praesertim historica, & lapidaria legentes, & quia mihi verendum est, ne non satis laudaverim ejus in scribendo elegantiam, sive minuta & levia, sive gravia tractaverit (nullum enim stili genus intactum reliquit) haec ut aliqua ex parte omnibus appareat, ad quorum manus haec nostra pervenient, quae ipse historiae monumentis mandavit de Thoma Ceva, & Joanne Antonio Lecchio, qui sane ingenii & doctrinae laude floruerunt, hoc ipso in volumine iterum edenda curabimus.

OPERA EDITA

Guidonis Ferrarii operum Volumina VI. Mediolani 1791. typis Imper. Monasterii S. Ambrosii Majoris in 8. *Quae his voluminibus contineantur sigillatim declarabimus.*

Vol. I. De se, rebusque suis commentarius. Vitae quinque excellentium Imperatorum, Braunii, Daunii, Nadastii, Serbellonii, Laudonii. Res gestae auspiciis M. Theresiae Augustae inscriptionibus explicatae. Caroli Em. Sardiniae Regis vitae & principatus forma inscriptionibus proposita.

Vol. II. Inscriptiones digestae in classes XIII. videlicet opera publica, & monumenta illustria; gratulationes publicae; publici adventus; pompae funebres; pompae solemnes; oppida; fasti; vota; legata; epitaphia, & funebria monumenta privata; monumenta scholastica Academica; Jocosa.

Vol. III. Eugenii Principis a Sabaudia rerum bello gestarum bello Pannonico, bello Italico, bello Germanico, bello Belgico.

Vol. IV. Dissertationes XVII. pertinentes ad antiquitates Insubriae: 1. de nomine & conditore

urbis Novariae; 2. 3. 4. de Herculis in Insubriam adventu; 5. de praelli loco inter C. Marium & Cymbros in agro Novariensi; 6. de Vicecomitum origine, principatu, propagine: 7. altera de Vicecomitibus, sive de Ubertina propagine: 8. de Angleria: 9. de oppidis aliquot Verbani lacus, eique fere adjacentibus; 10. de origine Orobiorum; 11. & 12. de origine Insubrum; 13. de Jnsubriae late sumptae fluminibus, & lacubus; 14. de incolis vallium ad latam Insubriam pertinentibus: 15. de veteri urbe Laude Pompeja; 16. de mari Gerundo, quo nomine appellabatur lacus in tractu praesertim Laudensi; 17. de Severini Boetii supplicio locus. Lettere XVII. Lombarde, o appattenenti ad alcune antichità dell' Insubria.

Vol. V. orationes septem, 1. de arte scientiave critica; 2. de arte, scientiave politica, sive de gubernatione Principatuum, 3. de optimo statu civitatis; 4. de optimo Paterfamilias; 5. de Jurisprudentia; 6. de Historia; 7. de victoria Boemica ad Planianum contra Fridericum II. Borussiae Regem. Actiones Academicae decem & octo, quarum quinque sunt politicae, quinque asceticae, reliquae scholasticae. *His accedunt;* Commentarius de institutione adolescentiae, & minuscula ad Scholarum usum pertinentia, id est praefationes Thesium, nuncupationes &c.

Vol. VI. Vitae quinque doctrina illustrium virorum, Jul. Caes. Brusati, Thomae Cevae, Jo. Ant. Lecchii, Philippi Bovii, Alphonsi Casati. Memoriae Necrologicae quatuor pietate illustrium virorum, Constantini Ciceri, Jacobi de Scala, Jacobi Grollii, Josephi Fierardi. Dissertatio Genealogica. Narratio de insigni singularique sicario. Somnium, sive Dialogus Statuarum. Juvenilia, *quo nomine appellantur* Polymetrica sacra, Polymetrica profana, pathetica & satyrica, Polymetrica physica, & animastica. *Claudit volumen*: Appendix inscriptionum diversi generis.

THOMAS CEVA

Thomas Ceva Mediolanensis, familia natus honestissima, atque, ut tum erat fortuna, locuplete. De hoc priusquam dicam, venia & gratia est a lectoribus postulanda, quominus nobis succenseant, si de vita excellentis viri brevem admodum conscribimus commentarium, quod illi secus conveniret, cujus florente aetate fuit nomen ob ingenium, & doctrinam illustre in omni Italia. Sed nobis obscuriora ejus sunt facta pleraque, quod ei ad multam senectutem vita suppeditavit, omnesque ejus aequales ante aetatem nostram naturae debitum reddiderunt. Egregio tres ingenio fratres fue-

re, ut qui (*). Poetices, aut Mathematices laude in litteratis habiti sunt viris, nomenque dignum memoria, & commendatione posterorum reliquerunt. Hic lustro circiter tertio Societati Jesu nomen dedit, qui, qualis esset in omni futurus vita, initio statim aperuit. Concitatam sui opinionem perpetuo auxit, animum vero in dies magis pulcherrimarum scientiarum cognitione erudivit; quem nihil dubito, ut vere possim dicere, ingenio fuisse felicissimo, & mirifice ad res plures accommodato. Namque si laudi nobis ducendum esset Musicen scire, & commode, scienterque canere, ille non minima in gloria fuisset. Sed haec, quod ad nostram consuetudinem non pertinent, videbuntur fortasse leviora, & potius gravitate non digna sapientis viri. Sed non

---

(*) *Hic, de quo scribimus: P. Christophorus, cujus Poeseos specimen videtur P. Thomae sylvis insertum; & D. Jo. Ceva Mathematicis operibus illustris*

pari modo arbitror apud omnes fore, qui sciam poetas tibiarum cantu plerosque delectari, & musica solere; vel propter similitudinem, quae inter genus utrumque intercedit, quam ob rem etiam, qui ex tempore versus fundunt, ad chordarum sonum excitantur; vel quod compositione apta, consensioneque vocum commode incidentium, quam Harmoniam Graece appellamus, Poetae familiarissime utuntur. Sed nae sumus putidiusculi, qui haec pluribus. Igitur Poesi praestitit, quo nomine etsi magnus omnium judicio extitit, tamen Matheseos scientia non minus commendationis obtinuit. Qua re utraque praestare quale sit, facilius ii existimabunt, qui judicare poterunt, quantae sit virtutis excellentiam habere earum facultatum, quae maximarum habent rerum dissimilitudinem. Ceva quidem certe severiorem mathematicis aptam meditationibus, & blandam habuit quandam suavitatibus efflorescentem naturam. Eam rem scio nonnullis singularem haud fore, cum tam multi hac aetate videantur utroque genere florere: sed qui versus facere,

& mathematica delectentur scire, non me fugit esse plures; an mathematici iidem, & putandi sint poetae, nihil ego gravius dicam, commodius alii judicabunt. At singularis Cevae natura quoniam uno fere tempore ad utrumque ejus ingenium elicuit, de Mathematica primum dicemus, quae magnam, & imprimis gravem ei auctoritatem, & clarissimorum virorum amicitiam conciliavit. Animum ei dedidit, cum primum adolescens ad physices studia accessit, ad quorum usum, & utilitatem mathematica magnopere pertinent. Ei autem operam sic dare coepit, ut Euclidis libros nactus eos legendo potius, quam meditando percurreret incredibili celeritate veluti historiam; ita ei plana omnia & aperta videbantur; pari felicitate Archimedem, Theodosium, aliosque perlegit, noctes & dies magnam iis tribuens partem. Qua ex re Cevae tum adolescentis potuit ingenium aestimari. Post philosophica minori puerûm magisterio quinquennium exercitus, quod munus satietate laboris subactos, & victos vix non conterit spiritus, neque tamen a mathematicis ani-

animum revocavit, sed per occasionem subseciva nactus tempora huc se conferebat, satisque ingenio faciebat. Igitur ejus scientiae studium a prima adolescentia inceptum, nusquam intermissum, diligentia auxerat tantum, ut in illo juventutem adepto videretur esse perfectum, & suam quandam habere maturitatem. Postea ut Theologicis vacaret, cum Mediolanum rediisset, unus singulari exemplo delectus est ad explicanda publice mathematica in Academia Braidensi, ea tamen lege, ut neque eo secius Theologicis obsequeretur studiis. At ejus non minus propterea eluxit ingenium; itaque statim eam adeptus est nominis famam, quam usque ad summam senectutem retinuit. Hoc ejus rei specimen, quod in urbem cum venisset, in qua Petrus Paullus Caravaggius, vir genere, & scriptis suis nobilissimus in summam merito celebritatem pervenerat Mathematices nomine, Ceva eum adeo sibi devinxit, ut nemo illi deinceps carior fuerit. Conciliata autem est amicitia Cevae juventutis fere calumnia. Nam viro summo, & in tradendis mathematicis prudentissimo (tra-

debat enim ea publice in scholis Palatinis) cum hominis aetas minime scientiae tam gravis, & Licaei auctoritati videretur respondere, voluit periculum ejus problemate facere: cui ille cum ita respondisset, ut rem omnem evolvendo singularem quandam venustatem ingenii proderet, vicissim unum ei alterum misit. Erat in Caravaggio cum summa gravitas, tum comitas tanta; ut supra nihil posset addi. Igitur biduo post Cevam convenit, gratulatusque illi nobilitatem ingenii, aperuit, quod fecisset, periclitandi ejus ingenii caussa fecisse: nunc, quoniam praestantem in illo virum haberet, mirifice laetari, tum rogare, uti, quod ad se misisset problema, aperiret, neque enim sibi esse perspectum. Sed problema longe alio spectabat, quam videretur; callido enim consilio mediarum, quas vocant, proportionalium quaestio ab Ceva fuerat clam injecta; igitur erat impeditissimum, ut non posset exsolvi. Postea Caravaggius neminem amicitia antetulit; eoque factum est, ut vir cum aetate gravior, tum ingenio, & omnium judicio magnus huic omnes hono-

res juveni tribueret, libros inscriberet, & eum notum facere omnibus studeret. In his Ceva studiis, tradendisque mathematicis disciplinis versatus est annos amplius quadraginta & quinque. Hoc temporis spatio, multa edidit, quae summam ingenii laudem ei pepererunt ob irrepertam adhuc rationem, elegantemque argumenti speciem. Pleraque minusculis consignabat voluminibus; existimabat enim talia, quae ad doctos tantum viros conscribuntur, non multis esse tractanda; id eo valere, ut non multo aere habeantur, occurraturque satietati legentium. In iis est quaestio, quae disputat de vi indita corporibus a natura, quod genus existimabat posse explicari, si unaquaeque putentur invicem trahi, interque se rapi. Erat autem omnis ratio sic, ut nihil si esset earum omnium rerum, quas a perfecta, absolutaque elegantia Mundum appellamus, praeter infinitum quoddam spatium, lapis vero isthuc ab summo illo Opifice dejiceretur, is consisteret in se se ipso quietem nactus, & quammaxime accommodatum locum; quid enim esset in caussa, cur sus-

pelli, aut detrudi, vel diversum transversumque agi oporteret? quo si alius deinde decidat lapis, par, utlibet, minorve, accidet, uterque ut in procursum, occursumque vicissim ferantur, trahanturque, ea celeritate emensi spatia, quae utriusque sit moli consentiens, usque dum assecuti se invicem, postremo adhaerebunt, atque consistent: singula autem explicabat librae exemplo, & ad ejus leges expendebat. Hanc ille omnibus ingenitam corporibus vim, quam attractionem vocant, suis cum legibus junior excogitavit. Quae ratio cum propter res, tum propter novitatem pluris & faeienda, & multo plurimi, quod eodem circiter tempore idem principium meditatus in Britannia magni, incredibilisque ingenii Isacus ille Newtonus opus protulit, tamque multa attulit praeclara ad caeli conformationem, ad stellarum cursus, progressionesque, & ad omnem istam aspectabilium rerum universitatem explicandam certis quibusdam prope legibus, & caussis. Disputavit etiam de velocitate decidentium corporum, de Astrorum conversionibus, aliisque

similibus, quae eo libro continentur, qui est de natura Gravium. Alia multa conjecit in volumen inscriptum Opuscula, & in Philosophiam versibus explicatam, quam Novo-Antiquam appellavit. In his autem omnibus prodit se singularis praestantia, & venerum referta ejus ingenii indoles. Et vero nescio, an quod volo, explicare possim, & in oculis, conspectuque omnium exponere; sed mihi videtur Ceva sic Mathematicum gessisse, ut ea in ipsa re Poetam una simul declararet. Nam belle, & venuste res tractabat, & quibusdam mentis excursionibus volitabat inopinato in illa immensa Mathematices spatia, undecumque flosculos legens ita, ut modo injectis repente luminibus lucem superfunderet rebus obscurissimis, modo alias, quemadmodum Poetis persaepe felicissimae imagines incidunt insperato, & momento temporis minus opportuno, sic ille inopinato assequebatur difficillimarum rerum rationes. Exemplo sit inventum ejus, quo mechanice angulum trifariam disseces opere perquam nudo, & simplici. Namque illi praeter opinionem ea res cecidit, cum

oculos casu ad pervetustae cujusdam januae supercilium convertisset, ut Architecturae symmetriam observaret. Plura alia ex ejus effloruere ingenio, quae ad amicos misit, aut ingravescente aetate flammis dedit, ne, ut dicere solebat, gloriolae illecebra captam rogo non levi exutam corpore cremarent animulam. Sed enim nomen ejus, & fama latissime pervagata multos ei devinxit praesertim ex Academiis Germaniae. Sed Italiae litteratissimi crebris eum litteris lacessebant, ut efflorescentes mathematicis meditationibus ab illo epistolas elicerent; gravate enim sponte sua mittebat commercio litterarum abstinens, ne levius horam tereret, &, ut festive ajebat, obtunderet calamum, cui iterum temperando omnium ipse mortalium esset ineptimus. Hoc fuerunt in numero Vivianus, Ballianus, Regalinus, Saccherius, Grandius: hi tum mathematicorum principes in Italia numerabantur. Sed cum Guidone Grandio summa Cevae amicitia fuit usque ad ultimam aetatem; & ille nunquam non ad hunc amicissime scripsit, aut ad quemquam litteras Mediolanum dedit, quin

indulgentissimo quodam amicitiae sensu Cevae etiam salutem mitteret. Quo magis miror Grandii vitae scriptorem affirmare illum, ut cum plerisque litteratis viris, ita cum Ceva inimicitias gessisse, ejusque Philosophiam Novo-Antiquam pervulgato quodam poemate mulctasse: quod secus est, namque ut ea coepit fama per Italiam vagari, Grandius nihil potius habuit, quam ut graviter conquereretur; amantissimisque ad Cevam litteris ab se calumniam est deprecatus. Non minus florente aetate in Optimatum pervenit amicitiam. Insubriae tum latum gerebat imperium pro Hispaniarum Rege Didacus Philippexius Guzmanus Marchio de Leganes Insubriae Gubernator, cujus ingenii, doctrinaeque notitia libro continetur, quem Hispaniensi lingua inscripsit Palladis Scholam (*). Hic quoniam mathematicis studiis maxime delectabatur, quandiu

(*) *Escuella de Palla o seu Curso Mathematico Mil. 1693.*

Mediolani fuit, Cevam praecipue dilexit, ut nemo ei carior fuerit, aut familiarior. Amavit autèm cum propter communionem studiorum, tum captus hominis natura, in quo virtutis indoles elucebat. In illo enim suavitatem constat summam fuisse, lenissimos mores, gratiam mirificam. Erat gravitas, & cum gravitate conjuncta urbanitatis venustas, plenusque ingenii, atque animi lepos; tum sermonis gratia, vocis suavitas, & lenis quaedam verborum appellatio in consuetudine dicendi, quae etiam solet bene loquendi famam conficere. Nos quidem, qui eo familiarissime usi sumus, & adolescentes observavimus senem, tantum ejus consuetudo delectabat, ut nulla alia esset amoenitae conditior, magnoque opere mirabamur quotidie plenos litteratae senectutis sermones. Eo factum est, ut Leganesius illum mira complecteretur benevolentia, quantique faceret significatione declararet plane incredibili. Namque admirante, attonitaque urbe crebro, illum conveniebat usque adeo, ut officii, obsequiique a nostris signum pati jam nullum vellet, sed veniret ad Brai-

dam, & Praetorianorum, famulorumque agmine relicto, ad fores solus succederet aedibus, ascenderet scalas, & Cevae cubiculum recta adiret non aliter, quam si unus ex domesticis esset, & postremo pari modo discederet. Quae quantam declararent humanitatem, judicabunt, qui sciunt, ut dignitatem prope Regiam Mediolanenses tum Gubernatores gererent, Provinciaeque dominantes late fusae, & nihil adhuc distractae tantum imperium fastus altitudine gubernarent. Neque vero Leganesius minus ei in aulam conveniendi sui caussa aditum dedit, ne minus crebro propter infinitas suas occupationes amicissimi viri frueretur consuetudine. Qua ille gratia cum plurimum posset obtinere, tantum abfuit, ut re nulla unquam usus sit, sed modestiam perpetuo, virtutemque vitae suae consentaneam praestiterit. Atque hic illustre quoddam exemplum videtur habere locum, ne facti memoria intereat. Quodam enim die cum Leganesius sermonem deduxisset in noctem, disputandoque Cevam demoratus fuisset diutius, cum in eo esset, ut videretur homi-

nem velle dimittere, assurexit, perque Pinacothecas, diaetasque, quasi illum deduceret nihilo minus mathematicis intentum sermonibus, prudens volens usque eo progressus est manu peramice hominem tenens, dum in Theatrum inopinantem perduceret. Et Gubernatore in podio ex adversum viso, celeriter detracto sipario prostitit scena, & symphoniaci pueri cum cantu agere fabulam coeperant Deprehensus Ceva nihil non conatus, ut refugeret, sed ille per superos eam rem deprecantem, occlusis foribus, sibi assidere ad dexteram jussit. Quem constanter dejectis oculis cum videret renuere eos attollere, cumque ei persuadere tentaret, ut scenam ornatissimam, & quando Musices modulis, scientiaque delectaretur, scenam etiam, & musicos pueros, qui chorum agebant, spectaret: noli, oro te, inquit, ea me velle aspicere, a quibus non abesse cum imperio facis. Quae modestia tantopere illi fuit grata, ut abeundi post paulum fecerit copiam, curruque praetorio domum cum socio remiserit; neque deinde coeperit aliud magis, quam de Cevae temperantia,

modestiaque praedicare. Hanc cum summis viris amicitiam ingenii, & virtutis commendatione cum fuisset consecutus, est tamen laude dignum, quod in omni vitae genere, & cultu se modestissime gessit; cumque unus a pluribus consuleretur, aliorum judicio plurimum ipse tribueret. Sed est aliquid magis, quod hac una re facile erit unicuique perspectum. Erat jam Cevae auctoritas Mathematices nomine ubique nobilis, cum Hieronymus Saccherius in Braidam venit, ut philosophiae studiis operam daret. Hic tum erat adolescens, sed fama ingenii, memoriaeque vi tanta, ut nulli eorum videretur minor, qui in historiis memorantur praecelluisse. At Ceva ut periculum ejus faceret, quidque subesset famae, quam illi usque a pueritia omnium consensus imposuerat, volens cognoscere, orsus est ejus ingenium lacessere, & adolescenti, nulla adhuc mathematicae scientiae notitia adsperso, cum difficilia quaedam proposuisset, vidissetque ingenii ductu quodam ab illo omnia explicari facillime: Macte, inbuit, esto adolescens, & me quando pluri-

mum ingenio superas, fac studio etiam, & diligentia praestes. Ex illo nihil magis studuit, quam ut Saccherium certis Mathematicae principiis institutum promoveret, produceret, eique doctorum hominum amicitiam conciliaret: tantum aberat ab invidia, quae non solum minores habet despicatui, sed aequales etiam exagitat. Nunc est de altera ejus laude dicendum. Mathesi magnus est habitus Ceva; nec Poesi minor extitit, ac mihi videtur Poeta fuisse non unus ex multis, potius inter multos plane singularis. Quoniam enim illud videtur proprium esse Poetarum, ut doceant, unaque simul novitate rerum, & jucunditate alliciant, utrumque ille effecit; adeo sententias, & praecepta molli, pellucentique carmine vestiebat. Et illud si probatissimum est genus Poetarum, qui non solum fabulam cum ingenio subtexunt, sed mores personis accommodatos, & fortunae vices nativa eleganti, varia, perpetuaque rerum imagine exprimere, propeque pingere videantur, nisi plurimum fallor, nihil jucundius illo est Poemate, quod inscripsit De Puero Jesu.

Huc autem omnia pertinent, ut aperiat, quo modo Nazaraeis Pastoribus, & Ruricolis sensim caelestis se Puer prodiderit Deum. Igitur ab Aegypto in patriam redeunti mali daemones primum moliri insidias, dolis deinde apud plebem in dubium dignitatem ejus revocare, miscere captionibus, & praestigiis omnia; sed retectis ad extremum fraudibus, sanctissimum omnes puerum agnoscere, & cujus jam pridem amore, admiratione, oraculis rapiebantur, eum denique magnis gratulationibus ut Deum venerari. Haec libris sunt novem explicata: opus autem universum Poema inscribitur non eo, quod leges Epici sectetur, sed ut novum quoddam genus Comico-Heroïcum lingua Latina haberet. Est autem consulto confectum ad nostrae indolem gentis, agrestisque plebis consuetudinem; igitur ubique in omnibus apertam quandam declarat facilitatem naturae, & nihil non est eidem consentiens. Quam ob rem ad eos non spectat, quibus paulo est severior, aut subtristior indoles. At eo in genere, quod sibi Ceva proposuerat, nihil videtur aeque posse effici: copiam

enim imaginum, varietatem, venustatem habet admirabilem; natura iis est coloribus oblita, qui plurimum recreant; versus vero tam flexibiles, ut nulli videantur esse magis in potestate posse. Pari modo Sylvas poeticas confecit ex fabellis perfacetis; nec quidquam venustius illis quidem, qui poeticae non sunt expertes suavitatis. Philosophiam etiam versibus proposuit, quae ut illis temporibus tradita laudem habuit. Pleraque enim in physicis versatur, & multum habent locum Mathematica; sed celeritas in scribendo fuit tanta, ut sex libri explicarentur totidem mensibus. Magna omnis Italiae gratulatione exceptum est opus; pluries intra annos paucos editum; & versione etiam Italicis versibus donatum ab elegantis ingenii viro. Haec carminibus ab eo tractata sunt, in quibus nihil est ferme praeteritum, quod aut conveniat Poesi, aut ad Poesin pertineat. Sed quam diligenter totam ejus scientiae rationem cognitam, & percepta habuerit praecepta, illo maxime libro videtur, quem conscripsit de Vita Comitis Lemenii Laudensis Poetae venustissi-

mi; explicate enim tradit omnia, quae universe ad Poeticam spectant. Nemo fortasse sapientius, aut diligentius difficillima edocuit, & proposuit. Opus est academico flore plurimo & colore respersum; pulchritudine autem, & varietate fastidium omne superat. Neque sane quemquam alium puto sive ab ingenio, sive a natura plus habuisse hanc artem omnium artium maximam ad delectandum sine satietate. Sunt plura alia ejus diversimodi generis monumenta, praesertim Vitae praestantium pietate virorum (*): in omnibus autem inest venustatis quidam spiritus oratione diffusus, nec nimis extenuata, nec nimis plena; sed temperata leni, prope dixerim, tereti; ordo autem & delectus mirificus, itaque cum ad exitum liber accedit, dolet fieri finem le-

---

(*) *Memorie del Conte Francesco di Lemene: Vita di S. Giovanni di Dio: Vita di Monsignor Ruzzini Vesc. di Bergamo: Vita della Imperatrice Eleonora: Vita del Conte Matteo Taverna.*

gendi. Quo minus est admirandum, si quotquot in urbe delectarentur humanarum studiis litterarum, illum frequentarent, nihilque fere legeretur in conventibus academicis, qui Mediolani tum non pauci celebrabantur, quod non antea Cevae judicio probatum fuisset. Qui, quanquam erat modestissimus, non refugiebat ab audiendo; sed infinite aberat a supercilio, fastuque magisterii. Perblande excipiebat, audiebat jucundissime, collaudabat, animos excitabat; quae venuste, & belle forent explicata, repetebat; sicubi de poeseos gratia aliquid deesset, native ac modeste, quod suppleri posset, afferebat casu veluti oblata, admirabili quadam facilitate se se accommodans ad uniuscujusque ingenii naturam, & omnigeni carminis mensiones. Voces autem, modosque suppeditabat tam parate, ac prompte, quasi ex penu educeret verba consentanea, & quae desiderari possent fragmenta versiculorum. Hoc in illo constans, ac perpetuum fuit usque ad provectam aetatem & decrepitam, ejusque nos sumus rei testes. Octavum ille agebat, & octo-

octogesimum annum, cum nos nati annum undevigesimum eum cognovimus per trimestre spatium, nam postea esse desiit. Ad gravissimam senectutem accedebat, quod ab annis pluribus lumina oculorum amiserat, quam calamitatem ferebat tranquille: amisit autem hac potissimum de caussa, quam non abs re erit memorare. Mediolani in Domo Professa Societatis decesserat Ambrosius Cattaneus Cevae amicissimus, quicum aliquot annos in Collegio Braidensi Rhetoricam tradiderat. Cattaneus popularis eloquentiae laude mirum in modum excellebat; illo mortuo, Ceva sibi ejus scripta depoposcit; erant pleraque consignata minusculis schedulis, & involucris epistolarum. Infinito labore omnia exploravit, digessit, perpolivit ad perfectam quandam formam popularis eloquentiae. Cum omnia essent expedita, dum ille navicula vectus rure Mediolanum veniret, casu arcula, in qua includebantur, in flumen decidit. Ea re scriptura diluta est, quam ut legeret, & restitueret, plurimum laboravit. Eo conatu summe debilitata acies oculorum coepit diminui, usque dum defi-

ceret; sed ille laboris mercedem statim habuit jucundissimam; quodque sibi proposuerat, obtinuit, ut opus ad popelli etiam captum, & fructum esset (*). Vix enim typis traditum in vulgus prodierat, cum Ceva in trivio circumforaneum quemdam offendit. Hic ejus erat aspectus: stateram humero, sinistra quadram cum casei forma superque impositum formae librum gerebat, oculos autem perspicillis instructus, & lento gradu progrediens attente legebat, & identidem sua quadam insignita modulatione Caseum clamitabat. Festiva recreatus imagine ad hominem Ceva accessit, blandeque compellans, ecquid, mi bone, inquit, legis? ille, librum pulcherrimum, Cattaneum nostrum, quem ad S. Fidelis non semel audivi. Eo est facto summe delectatus Ceva, cum, quod intenderat, videret se esse consecutum; atque haec mihi ipse-

(*) *Lezioni, e Discorsi per la buona morte del P. Ambrogio Cattaneo della Compagnia di Gesù.* Tom. 2. in 4.

met narrabat festive. Sed ad superiora revertor. Cum illo igitur totos fere dies eram, & amore, admirationeque ductus tanti viri, & proficiendi studio, ipso quidem lubente. Modo mea legebam prope puerilia, modo alia ex praeclaris auctoribus. Lacessebam etiam juvenili quadam confidentia, ut ejus judicium exprimerem, qua veluti regula a falsis vera distinguerem, possemque existimare, quod ad elegantiam faceret, dignitatemque scribendi; ita fiebat, ut nunquam non aliquid addiscerem ab sene stipato studiis juventutis. Tantum ejus mens nihil facta erat imbecillior, aut de florenti vividaque vi quidquam amiserat. Tali modo cum extremam aetatem complesset, nactus est postremo vitae exitum maxime optabilem. Namque mortem timens cum egisset vitam solicitam, & mane ejus diei mecum horrorem, terroremque summum extremi illius momenti explicasset, correptus apoplexi cum fuisset, formido omnis evanuit; cumque morbus mentem illi integram, & loquendi reliquisset facultatem, nihil erat amabilius, quam cum de morte loquentem

audiremus, tanta elucebat suavitas ingenii, animique securitas, quasi jam non ex vita, sed de domo in domum videretur migrare. Hoc illi modestae, sapientisque naturae, & candidae, innocentisque vitae praemium fuit. Sexto, postquam morbi eruperat impetus, die decessit III. non. Febr. an. MDCCXXXVII. desiderium sui permagnum relinquens omnibus, qui eum cognoverant.

JOANNES ANTONIUS LECCHIUS

Jo. Antonius Lecchius Mediolanensis adolescentulus Societati Jesu nomen dedit; elucebat enim jam tum indoles plena naturae, & ingenii, alacris, otii, inertiaeque impatiens. A tali consilio multa poterant illum dehortari, inprimis pietas in matrem Helenam ex nobilibus Cribellis Helvetiae foeminam modestissimam, quam summe colebat, & Patris Jac. Antonii auctoritas, qui prudentia rerum gerendarum, consiliorum dexteritate, & sapientia, fandi etiam nativa quadam facilitate, & copia multum apud omnes ordines valebat, intelligebatque, quantum in tali filio, praesertim natu maximo

ex suis liberis, praesidii, quantamque accessionem dignitatis habere familia posset florens opibus, & aura populari. Naturae, fortunaeque illecebras vicit religiosa mens, devota Deo & propositi tenax. Eluxit in illo statim ingenium factum ad omnes scientias; igitur in iis omnibus, quas excoluit, praestitit, & non minus humanioribus litteris, quam mathematicis, philosophicis, & theologicis studiis claruit, ut ostendunt ejus volumina de his rebus edita. Sed in Hydraulica, quam vocant, tantos progressus fecit, tantumque excelluit, ut, qui ejus legent scripta, facile per se ipsi existimaturi sint, an ex omnibus superiorum aetatum scriptoribus multi hoc in genere cum illo comparandi sint. Omnes fere ejus scientiae late fusae partes attigit. De fluminibus, torrentibus, fossis, paludibus, portubus; de alveis, ripis, aggeribus, molibus, repagulis, pontibus; de excursionibus, exundationibus, eluvionibus; de expurgatione, directione, derivatione, fluxu, decursu aquarum, disputavit ut magister. Et revera qui ejus consulit monumenta, paratum ha-

bet ad omnes fere casus consilium. Sunt in omnium manibus Lecchiani his de rebus commentarii; nonnulli alii scripti tantum ab amicis asservantur, in quibus elucet ea, qua tantopere praestabat, scribendi laus, & ratio, evidens, nitida, facilis; stabilibus quidem innixa mathematicae fundamentis; sed omnium expers asperitatum, quas legentibus afferunt algebrici aufractus, confragosi sententiarum tractus, abstrusa vocabulorum involucra, quae res etiam notas, & in medio positas obscurant veluti arcana mysteria: quo scribendi fuco aliqui delectantur, & praepostere sibimet gratulantur, acuti, singularisque affectantes laudem ingenii. Ejuscemodi opinionis levitatem nihil semper Lecchius fecit satagens, quae litteris mandabat, ut commode legi possent, quare instructior unusquisque evaderet in suis rebus, & subsidium haberet ad omnes casus, qui quotidie accidunt in Insubria praesertim tot ductibus, & partitionibus aquarum intersecta. Et vero ille ad hydraulicae scientiae notitiam, comprehensionemque ea omnia habuit, quae plurimum

putantur conferre, ingenium excellens mathematicis disciplinis excultum, studium permagnum, triginta circiter annorum usum. Accedebat solertia in explorandis principiis, observatio prudens locorum, dexteritas in retegendis caussis, quae aut prodesse solent, aut obesse; sagacitas ad disquirendum quid aut vetustate defluxisset, aut negligentia obsolevisset, quam ad rem subsidium sibi comparabat ex hominum etiam agrestium judicio. Hos demorabatur, familiariter detinebat, interrogatiunculis lacessebat, ut quid, quique res a majoribus gubernarentur, cognosceret. Non enim aspernabatur, aut respuebat eorum sententiam, & monita; magni autem faciebat veterum Architectorum ingenia, qui opera cum sapienter instituerant, tum eadem communiverant adversus omnes casus, & providerant inposterum. Erat praeterea facta ad negocium indole, valebat animus nunquam a labore, & itineribus defessus, in aggrediendo promptus. in conficiendo celer, in agendo ingenuus, integer. Non frangebatur contentionis magnitudine, non rei dif-

ficultate deterrebatur, objecta mora non restitabat, non rapiebatur studiis partium; aperte, libere, quae e re essent, aperiebat, veritati, non adulationi, aut privatae utilitati serviens. Eo effectum est, ut magni ejus fieret judicium ubique. Vix enim Lecchii nomen in famam exiit, ex omnibus ad illum partibus litterae perveniebant, & exquirebantur ejus consilia a civitatibus, & provinciis etiam remotissimis; crebroque, & fere perpetuo debuit in expeditionibus esse. Hinc innumerae ejus excursiones non solum in Insubriae interiora, sed in Abduanos, Transticinates, Transpadanosque tractus, in Venetum, & Tirolensium fines, & denique in Austriam, latamque Germaniam. Sed Austriacae praesertim ditionis regionibus utilitates permagnas cum attulisset, M. Theresia Augusta, Hungariae, & Boemiae Regina commendatione, & litteris permota Comitis Beltrami Cristiani Plenipotentiarii ejus in Insubria Lecchium Viennam accersitum Caesarei Mathematici praerogativa donavit, & magnis munificentiae, benevolentiaeque significationibus exornavit, pluries

ad plures horas illo in colloquium adhibito, hominis indole, studiis, & nativa quadam agendi consuetudine delectata. Erat enim natura ejus aperta; vita, mosque facilis; ingenium flexibile, aptum, factum ad civilia etiam studia, & politica; insuper consilii prudens, modestum, facundum, populare. Talis cum esset, non est admirandum, si ad summos Principes accessit, & Francisci I. item Gnati ejus Josephi Augustorum gratia usus est. Non minus Leopoldi Austriaci Magni Ducis Etruriae consecutus est benevolentiam Florentiae. Sed Mediolani dici non potest, quantum quamque prolixe homini faveret Franciscus III. Atestinus, Dux Mutinae. Procerum etiam, & summorum virorum intra, extraque Italiam amicitia clarus habebatur. Summe enim Lecchii creverat fama; & vero magnum etiam momentum ad laudem, commendationemque ei attulerat Clementis XIII. P. M. auctoritas. Cum enim Bononiensis agri magnam partem paludes insedissent ob Rheni, & torrentium, rivorumque influentium copiam, quorum omnis erat exitus interclu-

sus: immensa autem exundatio late pertinens etiam ad Ravennatium, & Ferrariensium fines plura jam oppida, frugiferasque regiones obruisset, neque finem haberet, sed quotannis magis ruina, & exitium exuperarent, providentia optimi Principis statuit sumptibus non parcere, ut populos excidio subduceret, provinciamque amplissimam patefaceret. Multa jampridem ab Antecessoribus ejus agitata consilia fuerant, multa tentata, multi ea de re celebrati conventus Mathematicorum; omnia tamen frustra reciderant: nunc Lecchii fama, qui feliciter similia multa confecerat, Principem sapientissimum moverat, ut illum sibi ad sexennium concedi postularet a M. Theresia Augusta; quem cum obtinuisset, tantam uni provinciam demandavit. Neque vero Lecchius expectationi ejus defuit. Eluvionum enim caussis, & statu, declinationeque locorum diligentius exploratis, opus difficillimum, & infiniti laboris aggressus est. Constanter autem operi ipsemet insistens, totos dies in palustri solo, in nebulis, & sub sole pertinaciter perstans tan-

tum effecit, ut novis alveis effossis, veteribus instauratis, praeterea aggeres ubique firmos extruens, minores fossas instituens, & exitus ad excipiendam, effundendamque vim rivorum confluentium scienter distribuens, decursum denique aquis subsidentibus aperiret in Padum, siccaret paludes maximas, magnos tractus camporum purgaret, latumque arvum agrum ad multa passum millia proferret, & panderet segeti. In hunc modum intra sexennium asperrima jam operis parte confecta, totiusque consilii sui rationibus scripto traditis, quo reliqua modo, quibusque oporteret legibus perfici, opus ad exitum deducendum reliquit Boldrino Tribuno Parmensi clari nominis Architecto, qui in ejus fuerat locum sublectus. Sed eodem Bononiensis operis tempore multa alia confecit. Cum enim ei non semel fuisset Romam excurrendum, ejus in urbe commorationem expeditiones non paucae exceperunt, uti quivis facile cognoscet ex ipsis Lecchii commentariis, eoque ex libro, quem de scientiae hydraulicae legibus, de aquarum deductione, inhibitioneque fluminum ampliori

volumine conscripsit, Atestinoque Duci dicavit: ibi enim interjectae videntur consultationes ejus plures. Quod opus, postquam recepit se in patriam, qua celeritate, facilitateque confecerit, testes nos sumus, qui haec litteris mandamus, amicitiae, memoriaeque studentes viri optime meriti. Una enim annos amplius triginta viximus consuetudine ejus quotidiana usi in Collegio Braidensi, mutuo officii & amoris prope germani studio conjunctissimi. Ita deinde post Bononiensem expeditionem Mediolani se habuit, ut nullae fere domi, aut foris controversiae de fluminibus, nilisque existerent, quin aut evocaretur, aut interpellaretur per litteras. Neque vero ille unquam subduxit se; sententiam dicebat, eamque scripto ut plurimum consignabat, ne aliter, quam esset, ejus traduceretur consilium, idque singulare visum, quod, quo magis declinabat aetas, eo videbatur illi alacrior mens fieri, & clarius nitor splendescere, simplicitasque scribendi juxta solemne ejus effatum, non attinere in his praesertim rebus scribere, si lectores aut minus commo-

de cognoscere, aut, quid dicas, oporteat divinare. Sed tantum cum floreret claritate nominis, & Principum gratia, nunquam tamen, qui esset, non meminit; Societatem autem Jesu, cui se devoverat, multo quotidie pluris fecit. Huic mente, animo, consiliis omnibus studebat; eodem omnes studio incendebat, praecipue juniores, ut expectationi, votis, muniis, laboribus Societatis tam magnis, tamque late ad omnium gentium commoda pertinentibus se pares fingerent: meminissent illam bene de Ecclesia semper, & de republica meruisse vitae integritate, & doctrina, non minus adlaborando, ad gravia, difficilia, adversa magnum animum gerendo. Cum autem novissima illa in universam Societatem tempestas conflaretur, & metu, ac suspicionibus cuncta circumfunderentur, Leçchius tametsi, quo proruptura esset, intelligeret (erat enim mire acutus ad hominum voluntates, consiliaque conjicienda; multa etiam arcana, nec solus, acceperat) nunquam tamen animo cecidit multa tribuens tempori, omnia autem committens Deo, cujus nutu bona,

malaque, & quaelibet hominum consilia ad salutem, sanctitatemque revocantur. Igitur aequalem se praestitit, nec minus promptum ad omnes usus Reipublicae, iisque ipsis operam suam non denegabat, quos sciebat haud amico animo esse. Pari ut se reliqui gererent studio, cohortabatur, ita existimans nostrum esse Deo sancte, reipublicae commode deservire, enitique semper, & adlaborare, ut quamplurimis utiles esse, praestareque nos possemus omnibus; ceterum remunerationem, aut praemium non expectandum: omnium aetatum, & omnium gentium historiis satis constare male a plerisque gratiam rependi, beneficiis plus affectos minime omnium gratos, & memores esse: hoc humanae imbecillitatis esse; illud nostri muneris, ut de omnibus bene merentes conscientia recte factorum contenti essemus. Postremo denique cum superiore nutu Societas ab S. Ignatio instituta Ecclesiae bono ejusdem tranquillitatis nomine jussa fuisset conquiescere, nihil ille de veteri sua, constanti, erectaque indole remisit; neque, qui antea fuerat, esse desiit: imo tum mul-

to fortasse magis ejus expetita est opera ab illis, qui prius abstinebant. Praeoccupaverat enim mentes nonnullorum suspicio, & calumnia describi, designarique oculis, qui nobiscum agerent, aut plus paulo faverent Societati. Igitur Lecchius post id tempus domi suae ita vixit, ut amorem, aestimationemque omnium haberet; amicorum suavitati indulgentius se praeberet; consultationes, expeditionesque pari voluntate susciperet; oblatum otium conferret ad scribendum; summis, infimis, externis sociis illi antiquo, fraternoque amore conjunctis aeque studeret; usu, amicitiaque doctorum hominum, & procerum civitatis aliquanto crebrius uteretur. Et vero plurimum ab omnibus expetebatur consuetudo ejus; etenim, uti superius diximus, erat liberalis, ingenua, urbanitate festiva, ingenii, consiliique luminibus interspersa. Erat lenitas, leposque sermonis nativis coloribus, & expressis quibusdam imaginibus distinctus, ut jucunditate delectaret, perspicuitate, & evidentia animos raperet. Idem summe pudens, & verecundus; modestus, & patiens,

in-

indulgens, & aequanimis; nunquam asper, nunquam remissus, aut subtristis. Inter difficilia, suspiciosa, infesta, adversa fidens, magnanimus, constans, ad nova semper, melioraque mentem referens. Illa in alacritate indolis, & eloquenti, appositeque ad persuadendum dicendi copia magnum semper habuit, praesensque subsidium ad deliniendos animos, ad hominum contentiones in controversiis aquarum sedandas, & abstergendum in amicis omnem tristitiae sensum, animosque molestiis relevandos. Valetudine usus est perbona; sed denique laborum, itinerum, & turbidarum tempestatum, quas in tot expeditionibus, maxime autem in Bononiensis operis crasso illo, & concreto caelo tulerat, gravitate, & pondere fatiscens quotannis fere vi hyemali percellebatur; ac postremo stranguria, magnisque febribus bimestri circiter spatio oppressus est. Celeriter vitae finem adesse sensit, sibique omnia, quae Christiano, & religioso ritu ad morituros spectant, administrari statim, & publice postulavit, pie deinde, fidenterque exitum ex hac vita expectans,

& mortem instantem intuens, quin imminens interitus corporis animum obturbaret, aut horror vivum, videntemque mentis sensum obtunderet, quo alacri, praesentique usus est ad extremum usque. Prius ipse aliorum moerorem minuebat, proposita conditione mortalium, & voluntate Dei sanctissima, cui libenter esset obsequendum. Amicos, ut dixi, multos, veteres, amantes, observantes ejus, vereque benevolos Lecchius habuit. Hi omnes propiore commoti periculo ad illum ventitabant, aut crebros nuncios mittebant, ut de illo rescirent, quos pro constanti eorum erga se voluntate rogavit, ejus ut curam committerent Deo; de se non admodum dolerent, quem tali tempore divina bonitas sustineret, recrearetque; de supremo eorum officio gratias se postremas agere; scirent, quo semper fuisset in eos animo, nunc morientem esse: viverent ipsi, dum sineret Deus, neque a Religione, pietate, integritateque antiqua discederent. Sed nullo modo videtur praetereundum exemplum amicitiae veteris, planeque admirandae. In ejus nume-

ro amicorum imprimis fuit Comes Laurentius Taberna ex primorum ordine civitatis, Patricius. Hic ab adolescentia Lecchium habuerat magistrum in mathematicis: ex illo semper eum coluerat pietate ut patrem; &, quae in parentes liberi, amici in amicos possunt, ea omnia in illum unum conferebat, adeo ut non plus sibi, quam illi videretur studere. Tali amicitiae amore hominem constanter complexus dum viveret, dici non potest, quo fuerit animo, cum ultimum illud laborantem vidit. Ab eo non discedebat; totos fere eos dies lectulo affixus adhaerebat; juscula, & quae a Medicis fuerant parata, suis manibus praebebat; sudorem, & extremo anhelitus excipiebat; nec deseruit antea, quam exanimem vidit tranquille conquiesse. Tantum non omnino apud omnes obsolevit auctoritas veteris adagii: *Parentibus & Magistris nunquam satis;* neque vero vir nobilissimus suae obesse dignitati putavit ad extrema officia charitati, & amicitiae famulari. Obiit IX. Kal. sextiles CIƆ.IƆ.CC.LXXVI. Annum exegerat tertium, & septuagesimum, inla-

tusque est majorum ejus tumulo ad S. Theresiae. Virum nomine, & immortalitate dignum, cum quo amicissime, atque familiarissime viximus, nos hoc commentariolo exornandum statuimus, cum Stresiae otio in Verbano frueremur apud Jac. Philippum Bolongarium singularem omnino virum, & aurea illa aetate dignum, cum naturam opes nondum corruperant. Amplissima enim negotiatione, quam Amstaelodami gerebat, cum filia lectissima Petro Ant. Crevennae tradita secessum amabilem in patria delegit, ut in loci amoenitate, deliciisque hortensibus quietem sibi; in nobilitate aedium amicam, & perhospitalem advenis sedem; in fortunarum copia praesens incolis subsidium adversus inopiam compararet negotiis procul, & fastu, contentus sorte sua; beatus amore, & virtute familiae carissimae; Genero laetus, cujus videt domum pulcherrima sobole crescere, nomen autem minus opum, quam honestatis, sapientiaeque commendatione clarescere. Cui nos quidem Crevennae quando etiam deesset mirificum ejus erga veterem magistrum, constans, & per-

petuum studium, summe tamen illi deberemus, quod soceri ejus, tali viri, amicitiam nobis conciliavit, cujus benevolentia usi possemus miti, ac temperato caelo animum conferre ad scribendum, & tribuere Joanni Antonio Lecchio munus hoc ultimum amoris, atque officii.

Hactenus Ferrarius, cujus quae fuerit in Latine scribendo elegantia, per te quidem, Lector humanissime, judicabis. Nam si dixero esse in his vitis quaedam, quae mihi aut minuta nimis, aut contorta esse videntur, invidiae fortasse assignaveris. Illud addemus unum, quae nos in Guidonis Grandii vita (*) narravimus, hunc *Diacrisi* quadam Latinis versibus conscripta carpsisse *Philosophiam novo-antiquam* (sic liber inscribitur) Cevae, certissimis constare monumentis.

(*) Vol. VIII. p. 253.

ANGELUS FABRONIUS

ANTONIO FELICI ZONDEDARIO

SENARUM ARCHIEPISCOPO

S. P. D.

Narrare mihi solebat Petrus Leopoldus Magnus Etruriae Dux, omnium diligentissimos fuisse Senenses tuos in conservandis monumentis antiquitatis, quae patriam historiam illustrare poterant, eosque rerum suarum studio sic teneri, nullos ut populos patriae amantiores nosset. Haec dum loquebatur plurimum quoque illorum ingenio tribuere videbatur, nam illam Montesquii prorsus non improbabat sententiam, crassum & concretum aerem obtundere ingenia, contra

tenuem animare, acuere, ac sic formare, ut ex eo mores, animi, corpora, ipsaeque vitae actiones magna ex parte pendeant. Non quaeram hoc loco quid aer efficere possit; illud quidem inter omnes constare necesse erit, Senarum urbem parentem, altricem optimorum studiorum, liberalissimarumque artium fuisse, humanitate, religione ceteris praestitisse, fuisseque gloria tanta, ut vel fractum ac debilitatum Etruriae nomen hujus ipsius laude niti potuisset. His de rebus aut separatim egit, aut plura prudenter suis in scriptis intexuit Hubertus Benevolentius, cujus quod tu, amplissime Praesul, nisi honorificam mentionem facere soleas, tibi pergratum fore sum arbitratus, si pauca de eo historiae mandarem, ex quibus intelligi possit, qui quantusque vir fuerit, quamque optime de patria meritus, quam ita dilexit, ut ei omnia sua studia omnesque labores, nullo prorsus commodo extrinsecus posito, nullaque lenocinante mercede, consecrarit. Quod is vero non solum a sapientissimis hominibus, verum etiam a se ipso saepe accusatus est, quod pateretur latere in tenebris

multa publica luce dignissima, id excitare atque inflammare maxime debet eos, ad quorum manus scripta illius pervenerunt, ad illa edenda, quod monumentum omnium erit amplissimum ad ejusdem memoriam in omne tempus conservandam. Vale, Praesul amplissime, quique in omni recto studio atque humanitate vel a pueritia versari consuevisti, haec legens non verborum elegantia, sed amicitiae charitate, quae facit, ut omnia tua caussa velim, metieris.

Pisis prid. Kal. Aprilis
MDCCXCIX.

HUBERTUS BENEVOLENTIUS

Hubertus Benevolentius generosa familia Senis natus V. Non. Octobris an. MDCLXVIII. patre Marco Antonio, matre autem Adalagia Marcelli de Ilciis Comitis filia, fuit omnino vir egregius & inter suos cum primis nobilis, idemque eruditissimus, & antiquitatis nostrae, & in inventis rebus, & in actis, scriptorumque veterum litterate peritus, quam scientiam pluribus & illustrioribus litteris explicavit. Institutus liberaliter educatione doctrinaque puerili, id maxime spectavit, ut leges eas teneret, sine quibus civitates nec esse, nec bene moratae esse possunt, ut formaret animum ad ea

amplectenda, quae ratio & doctrina e purissimis hausta fontibus praescribit, utque majorum instituta, mores, ac jura nosceret. Cum iis se oblectabat, a quibus haec discere poterat, & vel puer verebatur quidquam dicere aut facere, quod non virile videretur. Parentibus mature orbatus, speque destitutus fratrem maritandi, familiae & patriae ut consuleret, ipse uxorem duxit nobilem feminam clarissimi Jurisconsulti Camilli Finettii filiam, quae nuptiae, quod non diuturnae fuerunt, novas conciliavit cum Catharina Bandinellia, ex qua unicam filiam suscepit. Tinctam hanc patris elegantia & doctrina novimus, cujus liberalitate factum est, ut publica Senensis bibliotheca paternis libris atque scriptis plurimum ornaretur. Maximam ex eo delectationem aucupari videbatur Hubertus, quod domum suam omnibus iis aperuisset, qui se virtutis & sapientiae amatores esse profitebantur, quibus plus sane utilitatis afferebat, quam ii, qui scholas habent. Nam de omni, quae proponebatur, quaestione docte & erudite disputabat, adolescentes, in quibus prae-

clara indoles erat ingenii ad gloriam inflammabat, iter, quod illis ineundum esset monstrabat, nec solum auctor ad rem aliquam litteris utilem instituendam, sed etiam socius ad comparandam, adjutor ad perficiendam illis erat. Nihil iratum habebat ejus oratio, nihil invidum, nihil astutum, nihil triste ac severum, nihil inconsideratum, prorsus talem prodebat virum, unde pudoris, modestiae, innocentiae, humanitatis atque prudentiae petere omnes exempla potuissent. Cum non parum lautus esset, libenter propter sermonis delectationem, & vitae conjunctionem convivabatur, sed nunquam sine aliqua lectione apud eum coenatum est, ut non minus animo, quam ventre convivae delectarentur: namque eos vocabat, quorum mores a suis non abhorrerent. Cum his fortunae & ingenii bona communicare maximum existimabat quaestum, quae bonitas cum etiam absentibus nota esset, undique ad eum mittebantur litterae praesdia ab eo postulantium ad rem litterariam, ac praesertim historicam juvandam. Suppeditasse autem iis de thesauris

suis notitias rerum obscuritate antiquitatis involutarum ceteros inter testes sunt amplissimi Zenus, Salvinius, Grandius, Sbaralea (*), ac praesertim Ludovicus Antonius Muratorius, qui multis in locis scriptorum suorum laudes tribuit singulares Benevolentii eruditioni rectoque judicio, ac in omni sermone usurpare solebat, se maximis beneficiorum vinculis illi obstrictum esse (**). Addebat etiam illum unum esse, qui patefacere potuisset plurima, quae erant obscura in medii aevi, ut ajunt, historia, quaeque

---

(*) *Cum ad hunc scriberet: ait:* Io come torno di villa sono ripieno di diverse faccende. Ho da mandare delle notizie a Firenze, a Milano, a Modena, e a Venezia. Se Iddio mi concede sanità, secondo le mie povere forze spero di contentare tutti.

(**) Ella è nata per farmi del bene (*in haec verba scribebat ad ipsum*). Vorrei anch' io poterle in qualche parte corrispondere. Se non altro esporrò al pubblico tutte le mie obbligazioni. *Epistola data est Kal. Novemb. an.* 1726.

difficillimos explicatus habebant. Hujus generis affirmabat originem esse Italicae linguae, de qua, ut & de ceteris hujusmodi rebus qnid sentiret, saepe & multum ab ipso quaesivit. Vir doctus extitit (*), qui opusculum texuit ex Benevolentii epistolis, ex quibus apparet persuasissimum illi fuisse Italicam linguam circiter decimum aerae Christianae saeculum ortum a Latina & Longobarda, incrementum vero tria post saecula habuisse ab ea, qua utebantur Provinciae populi & Saraceni, quos constat in Italiam advenisse, ac sedem in ea posuisse; neque minus apparet per quos gradus, & per quos viros a prima inchoataque natura ad perfe-

---

(*) Delizie degli Eruditi Toscani Tom. II. raccolte da Fr. Ildefonso di S. Luigi Carmelitano Scalzo, *quem in locum retulit etiam bina Huberti opuscula, quibus extrema manus minime accessisse videtur*. Horum alterum *inscribitur*: Dialogo sopra la volgar lingua, *alterum vero*: Osservazioni sull'origine, progresso e cambiamenti della Lingua Toscana.

ctam processerit, in quo non Florentinis modo scriptoribus, sed etiam Senensibus multam tribuendam esse laudem Benevolentius contendit. Nemo certe illo melius novit quae erant perscripta in veteribus monumentis, ad quae inquirenda & perpendenda tum patriae amore, tum suo quodam sensu, atque ingenito rerum antiquarum studio rapiebatur. Nam si a prima adolescentia illum omnis doctrina liberalis delectavit, tamen hoc studium cum aetate in eo sic crevit, ut in illo uno conquiescere videretur. Ferre vero haud poterat eos, qui non satis laboris, diligentiae ac critices ad hoc eruditionis genus afferebant, qua de caussa cum Hieronymo Lilio & Joanne Antonio Peccio, qui de rebus Senensibus multa litteris mandarunt, saepe disputavit, ita tamen, ut opinionum dissensio animorum disjunctionem non faceret. Qui ajebant Benevolentium suis in sententiis novitati nimium favere, & ab eo, quod semel admisisset, non facile retrahi posse, sane aut malevole, aut imperite judicabant. Nihil enim affirmasset vir supra quam credibile

est veritatis amans, cujus rationem reddere non potuisset (*), & si quid minus vere a se dictum arbitrabatur, more magnorum virorum, statim ac noverat, erratum suum, retractabat. Illud unum in eo reprehendisses, quod latere sineret in thesauris

---

(*) *Vere quidem de eo judicasse videtur Jo. Lamius* Novel. Letter. di Firenze del 1746. *postquam Huberti sententiam comprobavit de Brandano, quem virum imperitiae, temeritatis & stultitiae plenum appellaverat, contra ac sentiebat Peccius*, essere egli stato il più giudizioso scrittore, che sia mai stato fra'Sanesi, e che nel formare il suo giudizio del Brandano non ha seguito il capriccio naturale, ma la ragione maestra; che non ha fatto ciò per discordare dagli altri, ma per accordarsi col vero, e questo essere il contrassegno, che le sue opere inedite sono eccellenti, perchè in tutte ha tenuta questa regola divina e sicura. *Quam libro Senis an. 1746. edito tenuerat sententiam Peccius, prorsus repudiavit, cum an. 1763. Lucae edidisset opus cum hoc titulo:* Notizie storico-critiche sulla vita e azioni di Bartolommeo da Petrojo &c.

suis innumera pene scitu dignissima, ad severioris critices regulam exacta, quae cum commemorabat, non sibi modo, sed & ceteris, quorum eximium studium in re litteraria provehenda extitisset, illa parasse affirmabat. Quae suppeditavit Muratorio ad opera illa sua de Scriptoribus rerum Italicarum, & de Antiquitatibus Italicis medii aevi exornanda, quanquam magni facienda sint, non satis tamen probare nobis videntur, qui quantusque vir ille fuerit. Illustrant quidem *Chronicon Senense scriptum ab Andrea Dei & ab Angelo Turae continuatum exordium habens ab anno* 1186. *& desinens in annum* 1352. *Annales Senenses Auctore Nerio Donati filio ab anno* 1352. *usque ad annum* 1381. *& Statuta Civitatis Pistoriensis anno Christi* 1117. *& circiter annum* 1200. *condita* (*): sed majora etiam

---

(*) *Extant haec statuta in Vol. IV.* Antiquit. Ital. *Annales vero Senenses cum notis Huberti in Vol. XV.* Script. rer. Italic., *cujus in voluminis prae-*

ad patriam praesertim historiam illustrandam seposuerat. Haec dum concinnabat, illa commendari quoque laude volebat, ut non solum quod opus esset diceret, sed etiam quod non opus esset non diceret, in quo saepe peccare videntur monumentorum veterum explicatores. Nil tamen adeo minutum erat, de quo non recondita, ceterisque ignota non proferret, cui rei exemplo esse potest quae de origine litterae K. apud Italos copiose disseruit. Interrogatus a Paullo Galiardio Canonico quid sentiret de statu veterum Cenomanorum, de quo hic scribendum susceperat, ea respondit, quae, paucis exceptis, mirum in modum

---

fatione haec ait Muratorius. Tulit eum urbs illa *(Senarum)* atque utinam diu servet, ex antiqua & patricia gente Hubertum Benvoglientum, virum singulari eruditione excultum, cui in litterarum judicio ac sapore paucos, equales & quo in historia Senensi, imo & Italica neminem peritiorem reperias.

illius confirmant sententiam. Hoc in loco mentionem ipse fecit cujusdam dissertationis suae de origine urbis Florentiae, de qua inter eruditos erat controversia. Alia & exaravit, quae probant studia recta atque honesta per Florentinos maxime concelebrata enituisse, qua in re non mediocrem quoque laudem Senensibus suis dandam esse contendebat; omninoque voluisset, ut Academiae tum Florentinae, tum Senenses voluntatum studiorumque consensione, sicuti olim, in re litteraria & Etruscae linguae elegantia provehenda elaborarent. Quare nil petulantiae audaciaeque concessit Hieronymi Lilii, qui bellum quodammodo Furfureis Academicis, penes quos jus & potestas erat Etruscae linguae moderandae, indixisse videbatur. Homo, qui gravitate & prudentia singulari omnia sua dicta & facta moderabatur, cujusque non modo sermo, sed etiam vultus exprimebat mores ingenuos, lenes atque humanos, ferre haud poterat scurrilem dicacitatem, quo vitio quod contaminata essent plura Lilii ipsius scripta hunc pro veteri amicitia monere non cessa

bat, linguam ut frenaret, utque ingenium, cujus tenuissimus est quidem fructus risum quaerere, ad graviora transferret. Ejus praecepta ad omne studiorum genus excolendum, & ad omnem vitae rationem recte ac sapienter moderandam si quis audiisset, sane gloriari potuisset se sequi vias ab omni periculo & errore vacuas, quae ob merita, dum honos erit litteris & virtuti, omnes fatebuntur fuisse Benevolentium civitatis suae primarium virum. Praefuit patrio Lyceo, & coloniae Arcadicae, cui nomen Physiocriticorum, magnumque sui desiderium reliquit, cum improviso obiisset VIII. Kal. Martii an. MDCCXXXIII.

OPERA EDITA

Osservazioni sopra la traduzione del Rapimento di Proserpina di Claudiano fatta da Marco Antonio Cinuzzi aggiunta all' Arte Poetica d' Orazio Flacco volgarizzata da Pandolfo Spannocchi. In Siena nella Stamperia del pubblico 1715. in 8.

Addizioni all'Italia Sacra dell' Ughelli intorno ai Vescovi ed Arcivescovi di Siena e loro Suffraganei. *Extant* in Italia Sacra Ughellii *Vol. III. edita Venetiis a Coleto 1718.*

Notizie istoriche d' Orazio d' Elci e di Francesco Accarigi Pastori Arcadi. *Extant in Vol. I.* delle notizie degli Arcadi morti. Roma per Antonio Rossi 1720.

Alcune osservazioni intorno all'origine del K. appresso degl' Italiani di Tuberone Guntolibei Cittadino Massetano. *Extant in Vol. III.* de' Supplem. al Giorn. de' Letter. d' Italia.

Chronicum Senense scriptum ab Andrea Dei & ab Angelo Turae continuatum, exordium habens ab an. 1186. & desinens in an. 1352. e MS. codice Senensi nunc primum editum una cum notis Huberti Benevolentii. *Extant in Vol. XV.*

Scriptor. Rerum Italicarum, *quo in volumine extant etiam*

Annales Senenses auctore Nerio Donati filio ab an. 1352. usque ad an. 1381. nunc primum editi ex MS. Cod. Senensi una cum notis Hub. Benevolentii.

Aminta difeso con le osservazioni di un Accademico Fiorentino. Venezia per Sebastiano Coleti 1730. in 8.

Statuta Civitatis Pistoriensis an. Christi 1117. & circiter an. 1200. condita una cum notis Hub. Benevolentii. *Extant in Vol. IV.* Antiquit. Ital. medii aevi. Mediol. 1741. in fol.

Lettera intorno all' antico stato de' Cenomani. *Extat in opere, quod hac ipsa de re vulgavit Brixiae an. 1752. Paullus Galiardius.*

ANGELUS FABRONIUS

PETRO PAULLIO

S. D.

Ea est illius disciplinae, quam analysim vocare solemus, praestantia atque utilitas, ut mathematicorum nomine indignos eos arbitremur, qui ipsam ne a limine quidem salutarunt. Tu porro optime hujus ipsius disciplinae studiosis consuluisti, editis institutionibus praeceptorum delectu, acumine, ordine, elegantia commendatissimis, sic ut de iis merito judicasse videatur mathematicorum facile princeps Grangius, gratulandum huic aetati nostrae, quod tali aucta esset subsidio, quo cum ipse caruisset, dum in prima adolescentia coepit hujusmodi studiis operam navare, infinitos propemodum labores susti-

nere debuit, ut eo, quo intendebat, pervenire posset. In ratione autem docendi mathematicas disciplinas sunt, qui commodiores facilioresque vias ceteris praeferendas putant, imitantes nutrices, quae infantibus pueris omnia minima mansa in os inferunt alii & sunt, qui praeceptorum difficultate pertenanda ingenia arbitrantur, ne ii, qui a natura ad hujusmodi studia minime sunt facti, tempus & operam consumant in addiscendis disiplinis, quae nimium abstrusos penitusque reconditos fontes habent, quos, qui non videit, sitire eum necesse erit. Quare non οικετι tua industria, quod veteris, sed praeclare ponitur, si quidem id agis, ut qui frequencs sunt tui auditores, confidere queant, se & labore & constantia consequi posse celebritatem sermonis hominum. Fuit aliquando tempus, quo geometria nullo juvabatur anlysis subsidio, ut coepit autem a doctissimis viris, quorum in numero principem sane locum obtinet Cartesius, illius affluentibus copis ditari, studio acriore, & labore atque industria superiore omnem hujus artis pene infinitam vim atque materiem scien-

tia & cogitatione comprehendere multi curarunt, quodque nostrates inter praestitisse videtur Thomas Perellius, hujus vitam postquam Italice declaravimus, Latine quoque exponendam suscipimus, ut omnes gentes intelligant qui quantusque vir fuerit. Porro si diligentius is famae serviisset, minus opera nostra indigeret posteritas ad noscendum quanta doctrinae vi praeditus fuerit, quae eo mirabilior debet videri, quod cum extitisset nullus, qui fontes illi monstraret, unde comparatur finitae, & infinitae, ut ajunt, analysis scientia, tantum ingenio & cogitatione consecutus est, ut cum peritissimis contendere in hoc studiorum genere poterit, ex quo factum, ut cum longe lateque flueret in transalpinis & transmarinis regionibus analyticorum disciplina, in Etruriam quoque permanaverit, tanto quidem cum successu, ut non pauci extiterint, qui, scriptis editis, illorum copias auxerunt. Ager non semel aratus, sed novatus & iteratus, quo meliores fructus & grandiores edere possit, per te sane praestatur, qui naturae ipsius vocem audire visus es, quod ab ineunte ado-

lescentia huic studio totum te dedidisti. Qua de re non solum tibi gratulor, sed etiam quod religionem colens, tanquam a libidinis scopulo ab iis refugisti philosophis, qui ex aeterna divinaque veritate nihil omnino aestimant, ex quo fit, ut pravarum opinionum perturbatio, & ipsarum inter se repugnantia sanitate spoliet animum, morbisque perturbet. Quot hi non laudi & gloriae, sed infamiae nati, hominum societati detrimenta attulerint, nemo sanae mentis est, qui non videat, nec profecto in tantam vitiorum turpitudinumque voraginem, quibus saeculum hoc nostrum foedatur, incidissemus, si eorum vocibus omnium aures obsurduissent. Vale.

Pisis Kal. Januarii
MDCCXCIX.

THOMAS PERELLIUS

Thomas Perellius fuit sane vir cum paucis comparandus vi ingenii, memoriae facultate, & doctrinae copia, quare non mentiar, si affirmavero magnum per eum accessisse ornamentum Etruriae, & Academiae Pisanae, quanquam hujus honori magis celebritate famae, quam sedulitate operae consuluerit. Natus is est Florentiae XII. Kal. sext. an. MDCCV. patre Bernardino Perellio, qui Premalcorio Aemiliae oppidulo in illam urbem venerat exercendi caussa juris prudentiam, matre Septimia Clerica Bibbienensi. Ille ita se gerebat, ita vivebat, ut ejus ab omnibus probaretur fides, integri-

tas, atque prudentia, quare Cosmus III. Magnus Etruriae Dux ipsum dessignaverat Fisci praefectum, quod munus antequam susciperet, nactus gangraenae morbum vitam amisit. Solitus is utilitate metiri praestantiam disciplinarum, nil magis concupivit, quam ut Thomas suus, in quo vel ab ineunte aetate mirabilis apparuit indoles ingenii, eam ipsam facultatem coleret, quae sibi fuerat quaestuosa, quare postquam a Jesuitis eas litteras acceperat, quae ab humanitate nomen habuerunt, ipsum sic commendavit Josepho Averanio, qui Pisis Romanas leges interpretans totius Etruriae oraculum esse videbatur, ut optatissimum sibi esse intelligeret, filii industriae omne curriculum elaborari in ipsarum legum notitia acquirenda. Sed natura talem ipsum genuerat, ut, eadem optima duce, eas doctrinas requireret, quae veritate, non interpretum opinione nituntur, & cum iis studia illa conjungeret, quae adolescentiam alunt, & senectutem oblectant. Postquam totam jam Euclideam geometriam tenebat, ad Guidonem Grandium venit, consilium ab

eo petens, quod iter sibi ineundum esset, ut ad majora pergeret. Vidit statim Grandius miram adolescentuli indolem, neque is sane eguit confirmatione sua, ut omnia illa recentiorum geometrarum, quae tum summo in honore erant, mysteria nosceret. Ex illo tempore fuit ejusdem contubernalis, quin dicam etiam studiorum comes & adjutor? Ipso enim teste scimus, nihil extitisse tam abstrusum & reconditum, quod ipse non assequeretur (*) &

(*) *In haec verba scribebat ad Caelestinum Gallianium*: Il suddetto Giovine (Perelli) è tutto innamorato dell' analisi moderna, e ne ha un maneggio mirabile, di maniera che scioglie i problemi più ardui di fisico-matematica da se, nè vi è cosa astrusa negli Atti di Lipsia, nel Newton, nell' Ermanno, nel Barnoulli, o altri autori, ch' egli, solamente letta la proposta, subito non ne trovi la dimostrazione analitica in poche righe di calcolo, dimostrando e le leggi delle forze centrali per qualunque curva, e le curve, che sodisfanno a diverse leggi delle forze centrali, e le catenarie in qua-

felicissime, paucis, ut ajunt, adhibitis calculis, non exponeret atque demonstraret. Si vere dictum fuit amicitiam nihil aliud esse, nisi omnium divinarum, humanarumque rerum cum benevolentia, & charitate summam consensionem, haud scio equidem, an ulla conjunctior fuerit illa, quae intercessit inter Perellium & Grandium, quem & mortuum vixisse dixisses, tantum illum honos, memoria, & desiderium prosequebatur discipuli, qui cum eo omnia habuerat communia. Ut erat Grandius multis ornatus litteris, sic facile indulgebat Perellio animum ad varia appellere. Frequentabat enim omnes illos doctores, quorum illustre nomen erat. Tantum profecerat in anatome (nihil dico de ceteris physicis disciplinis, ad quas factus esse videbatur) ut

---

lunque supposizione di gravità variabile, e le velarie, e le elastiche e le trajettorie per mezzi di varia resistenza, e assai più facilmente che non farei io, perchè non ha il capo distratto, come io, in altre cose.

Joseph Zambeccarius, non contemnendus quidem hujus artis magister, egerit cum Academiae Praefectis de illo sibi successore destinando, nec laudes mediocres tulit à Dominico Antonio Gotto, qui eum in medicina habuerat discipulum, dum hujus facultatis laurea ipsum decoraret. Hae erant exercitationes ingenii, haec curricula mentis, dum Pisis morabatur, Florentiae vero plurimum exercebatur ab Antonio Maria Salvinio in Graecis litteris, & multorum itinerum socius fuit Petro Michelio, qui rei herbariae scientiam non modo illustravit, sed plurimum auxit. Hunc & adjuvit in conficiendo opere de novis plantarum generibus; nam cum fere expers esset Latinarum litterarum, alienam poscere opem cogebatur ad sua declaranda inventa. Atque is, tametsi abundaret Etruria ingeniis & doctrinis, adjumenta tamen etiam externa & adventitia quaesivit, eaque propter quadriennium & amplius Bononiae fuit, cum penitus se insinuasset in Manfrediorum fratrum consuetudinem, & annum fere Patavii. Captus humanitate & doctrina adolescentis

Jacobus Facciolatus, operam illi pollicitus est suam ad obtinendam in ipso Lyceo Patavino Graecae linguae cathedram, dummodo aliquid in lucem emitteret, quod testimonio esset, quantum in hoc studio processisset. Non recusavit conditionem, vehementerque petiit ab Antonio Cocchio sibi ut concederet, quae ex codice pervetusto excripserat de amatoriis casibus Chaereae & Callirrhois a Charitone Aphrodisiensi narratis, ea mente ut in Latinum converteret. Quod tum amico negavit Cocchius, postea lucri faciendi caussa Jacobo Philippo d'Orville tribuit, quae res indigna adeo visa est Perellio, ut se penitus ab illius amicitia removerit. Magnum sane detrimentum fecisset Etruria, si tantum virum amisisset, cujus opera non modo utilis, sed etiam necessaria videbatur, extructa Pisis astronomica specula, quae deposcebat astronomum. Nec mediocriter Perellius degens Bononiae, & assiduam praebens frequentiam Eustachio Manfredio, se in caelestium rerum contemplatione exercuerat, quare cum an. MDCCXXXIX. declaratus fuisset Astronomiae magister, ma-

gister magnam in omnibus spem excitavit, fore, ut hac quoque laude Academia Pisana cum ceteris illustrioribus potuisset contendere. Nec sane defuit liberalitas Francisci II. Magni Etruriae Ducis ad ea omnia comparanda instrumenta per summos artifices Britannos fabricata, quae e re forent, confirmavitque expectationem Perellius ipse in ea, quam more institutoque majorum biennio post dixit, oratione, qua exposuit quid ipse praestiturus esset ad munus suum exequendum. Nihilo tamen minus non solvit, quod pollicitus est: frustra enim ab eo requisivisses diligentiam, constantiam, assiduitatem in una re separatim elaboranda, dumque ejus mens rationibus agitandis exquirendisque alebatur cum oblectatione industriae, qui ei erat pastus suavissimus, illa, quae sunt extrinsecus, id est ferendi patiendique necessitatem negligebat adeo, ut deserendi officii nullam probabilem caussam afferre unquam potuerit. Ex quo factum est, nullas ut ab eo obtinuerimus observationes astronomicas, neque valuerint jussa Praefectorum ad ea exe-

quenda, quae e re Academica esse videbantur. Neque illum, cum sibi tantum sumpsisset, ut vigerent Pisis astronomica studia, antea vel prorsus neglecta, vel minus recte culta, quod tota versabantur in interpretando Ptolomaei Almagestò, minus putarim reprehendendum, quod inutiliter tot sumptus fieri sivisset, quuam si infideliter. Vigilantiam & operam, quam is Academiae debuit, abunde praestitit Josephus Slopius, qui ipsi adjutor datus fuerat, quique in Astronomiae cathedra eidem successit. Nam cum plura ab illo obtinuissemus volumina observationum, effecit profecto, ut Pisana Specula, non minus quam ceterae illustriores, de astrorum scientia bene merita esse judicaretur. Moleste fortasse tulit Perellius per vicarium ea geri, quae jure homines ab illo exigebant, neque ad minuendam culpam valuit Praefatio, in qua de studiis Astronomiae per Galilejum ejusque discipulos cultis, deque subsidiis ad illa renovanda comparatis pluribus egit. Nam, quae hanc sequi debebant, observationes sui juris prorsus non erant. Nemo ignorat a per-

fecto astronomo praeter diligentiam & assiduitatem in observando requiri etiam magnam illius facultatis, quam analysim vocare solemus, scientiam, qua duce, multorum caelestium phaenomenorum rationem certissimam consequi possumus. In qua quantum valeret Perellius praeter ea, quae supra testimonio Grandii attulimus, haec quoque exemplo erunt. Quaerebatur quae esset linea curva, in qua radii lucis ex puncto in medio posito prodeuntes post duas ex illa reflexiones in eodem puncto colligantur. Inter curvas, quae problema solvunt, invenit Perellius numerandas etiam illas, quae satisfaciunt problemati mechanico brevioris descensus in quibusdam hypothesibus gravitatis. Hujus problematis solutio cum ad manus pervenisset illustriorum Gallorum geometrarum, unguem leonis illam esse dixerunt, ex qua facile existimari potuisset, quanta facultate is praeditus esset, qui talia procudebat. Post id non minus feliciter alterum problema opticum solvit, cui proposita erat inventio puncti maximae illuminationis in plano, quomodocum-

que ab eo distent varia lumina, & quantus sit illorum numerus: animadvertit enim prorsus referri ad illud mechanicum problema, in quo, datis ponderibus, loco luminum positis, quaeque eorum numero & illuminandi vi omnino respondent, quaeritur eorumdem ponderum centrum gravitatis. Is et sibi plaudere videbatur, quod enodasset problemata alia plura de viribus centralibus, de die brevioris crepusculi, de testudinibus quadrandis, de corporum rotatione, et alia hujusmodi, quae declarabant nihil esse abstrusum et reconditum in re mathematica, quod ipse singulari, quo praeditus erat, ingenii acumine consequi non posset. Saepe quoque mentionem faciebat de solutis a se problematibus quibusdam mechanicis, ex quo alii postea magnam gloriae segetem tulerunt, minime reverens negligentiae reprehensionem, quod ea vulgare distulisset, quae sibi laudem, ceteris utilitatem attulissent. Huic se servire putabat (et serviebat quidem) nemini cum denegaret congressus et sermones suos doctissimos; nescisses autem cui aetati esset

aptior, quod vel ii, qui coeperant mathematicis disciplinis operam navare, multa ab eo discere poterant, quae frustra ab aliis requisivissent. Vel ipsae feminae ejus colloquiis oblectabantur, soliti haec condire festivis acroamatibus, et omni lepore eruditionis atque urbanitatis. Nota sunt ejus Latina epigrammata, quibus nonnullarum vel pulchritudinem, vel ingenium laudavit, quarum blanditiis si semper obstitisset, melius etiam famae suae consuluisset. Quid enim turpius, quam illudi? quod ne accidat, cavendum praesertim est philosopho et seni, quorum omnis actio vacare debet levitate, temeritate et negligentia. Atque haud scio, an hominem, qui nihil humani a se alienum putabat, levitatis suae poenituerit; nam ut quisque bonitate maxime excellit, fovet diligendi sensum, elatusque benevolentiae dulcedine, non satis intendit animum, ne decipiatur. Diligentiam quoque et judicium desiderasses in Perellio, dum utebatur re familiari. Nam quamvis hoc proprium sit animi bene cônstituti pecuniae fructum liberalitate metiri, est etiam qua-

tenus progredi debeat liberalitatis exercendae studium. Videndum est enim, ut meritis benignitas tribuatur, et ne major sit, quam facultates. Nec minus opera et industria, quam arca beneficus et liberalis erat. Quidquid enim ab eo petiisses, aut re praestabat, aut praestandi animo promittebat. Neque verbis augebat munus suum, si quis forte utebatur, quin etiam extenuabat, quod est signum animi minime ostentantis facultates suas, minimeque foenerantis beneficia. In hoc quoque suspicienda ejus virtus est, quod nemini invideret, nec laederet quemquam, neque superbire videretur opinione, quam omnes de illius ingenio ac doctrina habebant: nemo enim par illi in Etruria ponebatur. Veritatis amans, ejus defensionem suscipiebat, quoties ipsa oppugnari ei videbatur, in familiaribus disputationibus, non nervose modo, sed etiam erudite omne id in medium afferens, quod illam juvare posse intelligebat. Nam cum omnem antiquitatem non profanam modo, sed et sacram haberet cognitam, facile exempla et testimonia inveniebat, quibus utere-

tur ad id, quod intendebat, confirmandum. Istud antiquitatis studium facile ab illo obtinuit, operam ut poneret in interpretanda Graeca quadam inscriptione, in Insula Melo reperta, quae Oedipum conjectorem requirere videbatur (1). Res digna visa est, in quam nervos intenderet suos; sed erant potiora, quae ab eo homines exigebant vel spe publicae utilitatis, vel eorum, quibus consulendum erat, gratia. Bononiae degens, consuetudinemque Manfrediorum fratrum colens, plurimum se in ea facultate exercuerat, quae ad moderandas aquas pertinet, quae quantum civibus et reipublicae salutaris sit, nemo est qui ignoret. Hujus ipsius facultatis ortum is a Galilejo repetebat,

---

(1) *Fecit hoc rogatu Sebastiani Donati flagitatoris non modo assidui et acris, sed etiam molesti. Edita autem haec interpretatio Lucae fuit an. 1773. cum hoc titulo*: De vetustissima inscriptione in Insula Melo reperta, & Venetias in Musaeum Patriciae Gentis Naniae translata.

progressiones autem a Geminiano Montanario, qui ad Bononienses transtulit, quod in Etruria degens a Galileii ipsius discipulis didicerat, quique sic instruxit Dominicum Guglielminium, ut per hunc illa maxime aucta esse videatur. Tantum autem tribuendum Manfrediis fratribus, qui ex hujus schola prodierant, censebat, dignos ut haberet, qui in numero conditorum utilissimae disciplinae ponerentur. Haec autem non tam re mathematica et physica, quam observatione et experientia nititur, quae omnium magistrorum praecepta superat; addatur quoque necesse est inventis cognitisque rebus prudentia summa, quae efficit, cum alios juvare velis, ne quos offendas, et ne sumptus ad incertos casus impendantur, sed vel fructus, vel necessitatis caussa compensentur. Prorsus multa et magna sunt ea, quae noscere et cavere debet aquarum moderator, in quibus si non semper satis callide et perite versari potuisse Perellium dixerimus, huic tamen ipsi magna concedamus necesse erit, qui privatorum plurimorum, et universae reipublicae utilitati suis con-

siliis et scriptis maxime consuluit. Ex his in primis commendatur, quod de agro Pisano inscribitur: ea enim proponuntur ad avertenda, vel saltem minuenda aquarum pericula, quae agro illi et vicinis populis imminent, de quorum utilitate omnes uno ore consentiunt. Quid augere, quidque minuere possit fluminis Arni inundationes docte exposuit in epistola ad Bondelmontium Senatorem amplissimum, earumque historiam quodammodo contexuit, tempora cum temporibus comparans, notasque et signa indicans, ex quibus judicari possit, quantum aucta sit alvei altitudo. Quae scientiae pervestigatione, et usu consecutus fuerat, multis aliis in scriptis sparsit, quorum nonnulla tanti habita fuerunt, ut locum obtinuerint in collectione operum, quibus aquarum scientia non modo illustrari, sed etiam fundari putatur (1). Hoc autem fuit maxi-

(1) *Extant in Vol. VI. Florentiae edito an. 1769. cum hoc titulo*: Raccolta d' Autori che trattano del moto dell' acque seconda edizione.

mum mandatum, quod cum commissum fuisset Petro Paullo de Comitibus Cardinali, ut

---

Relazione all' Eminentissimo Cardinal Pietro Paolo Conti sopra il regolamento delle acque delle tre Provincie di Bologna, Ferrara e Romagna.

Risposta al parere de' MM. RR. PP. Seur e Jaquier sopra i diversi progetti per il regolamento dell' acque. *Hoc ipsum in volumen relatum fuit scriptum quoddam Guglielminii, quo proposita a Perellio mirum in modum confirmantur.*

Extant vero in Volumine IX. edito an. 1774.

Ragionamento sopra la campagna Pisana e sopra il modo di liberare la campagna del Valdarno inferiore dall' inondazioni dell' Usciana.

Relazione sopra le acque del Pian del Lago.

Parere sopra il ponte della Cecinella, e sulle cagioni della rovina di esso.

Esame del progetto del nuovo Mulino proposto nell' albereta dell' Anconella.

Relazione sulla derivazione d' acque fatta dal rio della Fraga.

Relazione sopra una corrosione del fiume Evola. *Praeter haec alia sunt in manibus hominum, e quibus commemorandum in primis videtur opusculum, cujus est inscriptio*: Relazione sopra il Lago Trasimeno: Firenze 1771.

cognosceret de controversiis, quae jamdiu fuerant Bononienses inter, Ferrarienses et Ravennates caussa praesertim fluminum Reni et Padi, quidque optimum factu esset proponeret, hic consiliis Perellii uti maxime voluit, quem quidem adeo sua cepit humanitate, ut is omnia ipsius caussa vellet. Diligenter regiones inspexit, neque id satis habuit, sed omne id perpendit, quod praeteritis temporibus fuerat his ipsis de controversiis a doctis viris litteris mandatum. Quo facto, sententiam suam exposuit, et Bononiensibus praesertim consuluisse videtur, cum indicasset per quem alveum exonerari tuto et facile potuissent aquae, quae iis damna et pericula creant. Dum gaudebat consilium verum se dedisse libere, necesse habuit sua ab objurgationibus defendere, quod fecit graviter, auctoritate, et offensione animi non acerba, cum a sapiente homine, qui rerum cognitione et doctrina delectatur, nil tam alienum esse putaret, quam jurgiis contendere, quanquam petulanter ab hominibus, qui multum sibi tribuebant, provocaretur. Adde, quod in hoc exequendo

mandato eam diligentiam et assiduitatem ipsum adhibuisse constabat, quam raro ab eodem obtinuisses, quod non ita intelligi volo, perinde ac si in labore perferendo ei industria deesset. Nam quoties illum lux noctu aliquid vel legere, vel scribere ingressum, quoties nox oppressit, cum coepisset mane! Quam saepe vidisses in acerrima cogitatione defixum adeo, ut eum vis quaedam abstraxisse a rerum praesentium sensu videretur! Sed cum distraheretur in diversa studia, non illa modo acuta, quae sunt philosophorum et mathematicorum propria, sed etiam leviora, et omne id noscere vellet, quod erat in honore apud cultiores nationes, quarum linguas tenebat, et nunquam satiaretur lectione librorum, nullum tam malum esse librum affirmans, ex quo aliquid disci non possit, raro, quod inchoaverat, ad umbilicum perducebat. Atque haec studia, quae quidem prudentibus et bene institutis pariter cum aetate crescunt, nunquam ab eo intermissa fuerunt, dum integra mente ceterisque sensibus fuit. Triennio enim antequam moreretur, natura

suum, quod coagmentaverat, opus pene dissolvisse videbatur. Nam omnis vis ingenii non solum in eo extincta est, sed et memoriam rerum et verborum, quae firmissima, et prorsus mira in ipso fuerat, amisit. Hisce valetudinis incommodis ut coepit tentari, veniam a Leopoldo Magno Duce obtinuit deserendae Academiae, multumque illius calamitas levata fuit pietate suorum, qui Aretii commorabantur, quorumque in sinu apoplexi correptus vitae cursum explevit III. Non. Oct. an. MDCCLXXXIII. Laudatus fuit a Paullo Frisio, qui illo familiarissime, dum Pisis metaphysicam et algebram docuit, usus fuerat, quique per eum in mathematicis disciplinis plurimum profecisse gloriabatur, a Laurentio Pignotto, et a me quoque, qui omnium primus de illius vita et scriptis Italicum commentariolum edidi in Volumine LIII. ephemeridum litteratorum, quae tum Pisis vulgabantur. Nec dubitavi ipsum comparare Leibnitio varietate doctrinae et eruditione, superiorem etiam ponere scriptionis elegantia, sive carmina pangeret, sive soluta oratione uteretur, et

recto physicarum et metaphysicarum rerum sensu. At Leibnitius multa edens, amplissimis monumentis consecravit memoriam nominis sui, contra Perellius famae negligentior perpauca emisit, ut verendum sit, ne non omnis posteritas satis intelligat, quantum sit illi tribuendum.

ANGELUS FABRONIUS

THOMAE PUCCINIO SUO

S. P. D.

Quoniam animus a multis miseriis et periculis, quibus nihil nec tetrius, nec foedius excogitari potuit, requievit, pergam porro mandare litteris, quae memoria digna videbuntur de claris viris, qui scriptis doctis et laboriosis gloriam et decus Italiae auxerunt. Fuit profecto tempus, quo Musae omnes obmutuisse videbantur. Nam florentissima provincia a Gallis occupata, et crudeli servitute specie pristinae libertatis restituendae oppressa, qui antea exercendo ingenium artis bonae famam quaerere consueverant, vitae ipsius pertaesi (quid enim reliqui habuimus, nisi miseram animam et oculos ad flendum?) segnes, pavidi et socordia innocentes nil curabant aliud, nisi ut precibus, votis atque suspiriis caelestes iras a republica averte-

rent. Serius omnino, quae reliquam Italiam affligebant, mala ad Etruriam pervasere; neque erat dubium, quin si pax renovaretur Caesarem inter et Gallos, cujus caussa Rastadii legati convenerant, tuta a belli periculis ipsa futura esset. Partis victoriis elati Galli, nil minus volebant, quam pacem facere, illius tamen studiosos se esse simulabant, ut minus cautos fallerent, infirmiores in suas partes traherent, paratioresque ad reintegrandum bellum essent. Intellectis eorum artibus, foedus Caesar cum Paullo I. Russorum Imperatore pepigit, omniaque ea comparavit, quae ad bellum sustinendum conducere posse videbantur. Hoc indicto, quamvis antea Etruria incolumitati suae prospexisset, pace cum Gallis Parisiis pacta, confirmataque Bononiae per Bonapartium, postquam is Liburnum occupaverat, eodem conflagratura incendio facile videbatur. Qui ad hujus gubernacula sedebat Ferdinandus III. quo post hominum memoriam nullus unquam extitit subditorum sibi populorum amantior atque studiosior, nihil sane praetermiserat, ut patientia sua molliret superbos et feros ani-

mos, satiaret etiam avidissimos pecuniae, tanta vi argenti iis concessa, quantam ferre publicum aerarium non poterat. Iidem Lucam jam occupaverant postrid. Kal. Januarii, quo priusquam adventarent, rei improvisae periculo perculsus Magnus Dux, qui tum Pisis erat, Florentiam rediit, misitque Pistorium Fridericum Manfredinium suae domui praefectum, ut ab illorum duce Serurierio intelligeret, quo animo ad Etruriam accessissent, datamque fidem commemoraret. Quod tum imminebat periculum, propulsum fuisse visum est, sed tot copiae Lucam invasere, tot vexata modis adversus promissa amica Respublica fuit (nam nobilitas, opes, omissi gestique honores pro crimine, et ob patriae charitatem, recti, sanctiorumque institutorum studium certissimum exitium) facile ut intelligeretur foedifragos occasionem opperiri ad invadendam Etruriam. Demisso concilio, quod Rastadii habitum fuisse diximus, infectaque re (quis enim ferre potuisset Gallorum intolerabilia postulata?) Caesari non modo, sed et Etruriae Magno Duci indictum bellum fuit IV. id Martii. Ignora-

rabatur, quando litterae a Marullio Comite, qui legatus fuerat ad Cisalpinam Rempublicam, venere, quibus nunciabatur copias Florentiam accessuras. Tum Manfredinius Mantuam mittitur ad earum summam imperatorem Cheretium investigandi caussa qua mente venirent, avertendique, si fieri potuisset, periculi. Jactatum in colloquio nequicquam fuit Magnum Etruriae Ducem nihil commune cum Caesare habere praeter fraternam conjunctionem, suam sibi pacem peperisse, nec quidquam commisisse, quod illam vel minimum infringeret, contra vero ea concessisse Gallis, quae nullum injuriae locum relinquebant. Postremo Deum hominesque testans Manfredinius, quidquid ignominiae ac mali immineret, culpam ac dedecus fore penes fidei violatores, plenus timoris Florentiam rediit. Dies tum erat festus Virgini ab Angelo salutatae, indictaque jam erat pompa, qua Magnus Dux ad illius templum accedere solebat. Ut audivit infensos hostes ab urbe non procul abesse, et non dubiam esse belli denunciationem, quam semper sua conscientia atque innocentia fretus adhibue-

rat in rebus adversis constantiam atque fortitudinem prope incredibilem, hoc tempore maxime prae se tulit. Edicto vetuit quidquam hostile subditos sibi populos tentare, atque in sua se continens domo quid sibi legis imponeretur siccis oculis (ecquis suorum bonorumque fuit, quin lacrymarit?) expectavit. Jussus est superbe et førociter deponere imperium, ad quod tuendum vires et animus deerant, atque Etruriam deserere. Discessit ab ea, vix adsportata pecunia et supellectile, quae itineri faciendo satis esse posset, cum cetera praedae rapacissimorum hominum reliquisset, una cum uxore, liberis, Rospiliosio, Capponio, Bartolinio, qui inter aulicos principem locum tenebant, nocte, quae insecuta est diem septimum ante Kal. Apriles. Abeundi cum eo potestas minime facta fuit Manfredinio, qui postquam fati sui incertus Florentiae per dies usque XX. commoratus est apud veterem amicum Hieronymum Bartholomaejum Senatorem, una cum Serattio, Corsinio, Fossombronio, qui Magno Duci fuerant a consiliis, Liburno solvens navi Panormum transvectus est. Ti-

mebant omnes, ne quid adversi optimo Principi accideret, Mantuamque captivus duceretur. Non alias magis sua, populique Etrusci contumelia illum indoluisse ferunt, quam quod hostium more cum eo tanquam de ertore fidei Gallis datae nihil adversus eos tentandi ageretur, neque satis ab omnibus fortasse intelligeretur, sibi accidisse, quae persaepe sapientissimis viris accidunt, ut, quemadmodum gubernatores optimi vim tempestatis, sic ii fortunae impetum superare minime potuerint. Datur negotium ipsius cum equitibus comitandi homini, qui maximis propinquitatis vinculis conjunctus erat duci Gaultierio, cui commissa fuerat Etruriae occupatio. Miseratus ille sortem innocentissimi Principis, neque fortasse ignarus fore, ut, quae ei concessa fuerat Viennam concedendi potestas, revocaretur, nunquam non institit, iter ut celeraret. Vix quidem is Padum transierat, pedemque posuerat in loco, qui in ditione erat Caesaris, cum tabellarius, citatis equis, Mediolano venit cum jussis de illo in captivitatem tradendo. Ut in conspectum venit Caesaris copiarum, quae castra

ea in regione collocaverant, rei indignitate commotae, se injurias sanguine ulturas, districtis gladiis, jurarunt. Post haec haud lenta Dei ira in Gallos fuit, tumque intellectum consuesse illum, quo gravius homines ex commutatione rerum doleant, quos pro sceleribus eorum ulcisci velit, his secundiores interdum res, et diuturniorem impunitatem concedere. Ii quidem multas antea consecuti victorias, eo vecordiae processerant, palam ut jactarent, non Italiam modo universam sub suorum potestate, vel potius tyrannide perpetuo futuram, sed brevi se Caesaris sede, et tota late regione ejus imperio subjecta potituros. Pugnatum primum est apud Veronam, aliis deinde in locis, quibus in praeliis, cum superiores semper discessissent Caesariani, quinquaginta et amplius millia Gallorum cecidisse putantur, captae munitissimae arces, ac demum apud Trebiam, Suvarowio ducum Russorum fortissimo ac felicissimo imperium gerente, vehementer et pertinaciter adeo tribus continuis diebus dimicatum est, nulla ut spes relicta Gallis esse videretur redintegrandi vires, ac diutius

in Italia, quae fatalis illis semper fuerat, manendi. Magnus inde animus ac cupiditas accessit populis excutiendi servile ac crudele illorum jugum. Vel antea in Etruria motus fuerant, cum undique et uno fere eodemque tempore sparsus fuisset rumor, Caesarianos properare ad illam liberandam, quam ob rem vehementius iracundia effervescentes Galli ipsi, minas jactare, pericula intendere, formidines opponere coeperunt, severitatem animadversionis dominis ac presbyteris praesertim minitantes, nisi agricolas et oppidanos in officio continuissent. Obsides et imperarunt nobilissimos civitatum numero fere octoginta, e quibus bini fuerunt e Pisanis presbyteris, qui postquam precibus et cohortationibus arma extorserant e manibus incolarum Viaregii, capti obsides fuerunt, et eorum quinque, qui conspirationis principes putabantur, despecto veniae promisso, morte mulctati, quod idcirco commemorandum putavimus, ut omnes intelligant consuevisse Gallos fidem in perfidiam vertere. Praeerat omnibus, quae in Etruria gerebantur, Reinardus, qui paucos annos ante ad

Magnum Ducem legatus fuerat, quique amicitiam, et pacem simulans id curaverat unum, ut eadem vi ruina, atque tempestate, qua ceterae Italiae Provinciae, Etruria quoque everteretur. Quod huic boni omnes suspecti erant, quodque hoc semper proprium Gallorum fuit, ut eo se munitiores putarent, quo illi, quibus imperitabant, quorumque opera utebantur, nequiores essent, curavit statim, ut gubernacula civitatum ii prehenderent, quorum cognita esset rerum novarum cupiditas, quosque facile comites adjutoresque habiturus esset in iis statuendis, ac decernendis, quae infinita licentia, ac lubido omnia habendi atque perdendi suadebat. Fuit omnino miserrimum multos inveniri, qui, cum intelligere deberent nullam calamitatem abfuturam, si Gallorum imperio teneremur, eorum tamen potentiae decus et libertatem suam gratificarentur. Res demum docuit id verum esse, quod in carminibus Fabius ait, fabrum suae quemque esse fortunae, nam qui tantum alios praetergressi fuerant, ubi res Gallica inclinavit, aut se exilio, stimulante conscientia, mulctarunt, aut in vincula conjecti fuerunt. Sparserant se se tota Etru-

ria Gallorum copiae, et eae, quae Luca venerant, pridie antequam Florentia occuparetur, Pisas et Liburnum invaserant. Nullum autem ignobile adeo fuit oppidum, in quo non extolleretur arbor, quam illi libertatis, nos verius turpissimae servitutis symbolum vocamus. Qui illam aut factis, aut dictis vel minimum violassent, rei majestatis, ac sacrilegii habebantur, poenasque reipublicae dabant. Dum vero loca omnia libertatis et aequalitatis vocibus personabant, adempto per inquisitiones loquendi audiendique commercio, quod ultimum in servitute esset ferre cogebamur; nihil non ad avaritiam excogitabatur; frumentum, carnes, arma, tormenta, vestes, vecturae imperabantur, cujus modo rei nomen et praetextum reperiri posset, hoc satis esse ad cogendas pecunias videbatur. Erant in urbibus Praefecti (Commissarios vocabant) qui praeter imperatas pecunias suo etiam privato compendio serviebant, qua in re copiarum ductores minime illis inferiores erant. Omnino nihil relinquebatur, quod ad vexandos, et in timore continendos populos conducere posse vi-

debatur. Maneat quaeso, duretque in omne tempus, si non amor patriae, at saltem odium in gentes, quibus mens erat regna omnia sceleris sui praedam facere (vidimus quidem Romanum Pontificem sua expulsum sede, omnium honestarum rerum egentem alienas terras quaerere, ac demum, tetrum sane spectaculum! gravissimis confectum valetudinis incommodis, in Galliam captivum duci) omnia divina atque humana jura evertere, Deum superosque cultu, urbes ornamentis, ac populos fortunis spoliare. Tot calamitatibus fessi Aretini, animum supra vires gerentes, quem augebat haud dubia spes patrocinii Beatae Mariae Virginis, quam praecipuo cultu venerantur, deliberarunt se suaque ab Gallorum impiis manibus, conspiratione facta, tueri. Paucos ex iis, qui in custodia erant urbis, occiderunt, reliqui se se fugae mandarunt. Hoc successu alacriores facti finitimos populos in partes suas traxerunt, e quibus Cortonenses, postquam urbe prohibuerant Polonos, eorum non paucis occisis, qui Gallis militantes Roma venerant, suis vastatis incensisque agris, cum

omnibus iis rebus carerent, quae bello usui sunt, legatos Florentiam miserunt veniam et pacem deprecantes. Nihilo secius Aretini in proposito manserunt, compluresque ex iis Polonis, dum iter per illorum agrum faciebant, per insidias (nam ubi cuique aut vallis abdita, aut locus silvestris, aut frumenta, quae in altitudinem excreverant, spem praesidii, aut salutis aliquam offerebant, consederant) interfecerunt, qua re reliqui ne circumvenirentur veriti, constituerunt ad urbem non accedere. Ii quo facilius hostibus periculi darent suspicionem, urbis moenia armatis complevere, edixeruntque se cupidissimos esse tentare, quid patria virtus posset. Multa alia fortiter audacterque gesserunt, quae longum esset commemorare, nec dubium quin valuerint ad timorem injiciendum Gallis, qui postquam, simulata clementia, omnes artes adhibuere ad eos a bello revocandos, postremo se effecturos, ni paruissent, edicto declararunt, ut stirps, et nomen civitatis tolleretur. His minis accensi magis magisque, quam sedati animi fuere, coentibusque Clusentinis, Volaterranis, aliis-

que Etruriae populis, loca maritima occuparunt, Typhernum, Senas, aliasque urbes et oppida servitute Gallorum liberarunt. Magnae sane fuit fortunae, exercitum, quem ducebat Macdonalius, postquam Neapolim et Romam omni calamitate cumulaverat, in Cisalpinam Galliam properare; nam si diutius in Etruria constitisset, omnemque vim ad subigendos Aretinos contulisset, sane non video qua ratione ii exercitatis, omnique instrumento militari instructis copiis resistere potuissent. Sed multis signis apparuit curae esse Deo salutem Etruriae, qui dum excitavit animos Florentinorum, uno ex infima plebe peraeeunte puero, in pileo gestante, quod est Caesarianarum partium, insigne, ad evertendam statuam et arborem, uti vocabantur, Libertatis, tantum injecit timorem Gallis, qui in praesidio erant urbis (non facile enim judicasses utrum secundis rebus insolentiores, an adversis timidiores essent) ut eadem nocte aufugerint, sine dubio existimantes se non pares fore populo tumultuanti, atque Aretinis, quos adesse falso putabant. Nam hi nisi triduo post (fuit hic

dies non. Quintilis) inter plausus et clamores exultantis populi Florentiam intrarunt. Magnae saepe res non ita magnis copiis sunt gestae, sed profecto nunquam ab tam tenui initio imperiosa Gallorum superbia perculsa fuit. Nocte, quae illum, quem diximus, diem insecuta est, magnus terror civitatem invasit. Nam nunciatum est, majori comparata manu, redire Gallos, et ad portas urbis jam accessisse. Excitati omnes a somno, accensa undique lumina fuerunt; non juvenes modo adultique, sed senes et pueri, et vel feminae ipsae ad feriendum hostem, quibus poterant rebus (nam non magna erat armorum, quae abstulerant Galli, copia) se se parabant, passimque audiebantur voces, mortem potius, quam Gallorum servitutem iterum subeundam. Nec privatum, nec publicum decus vile tum fuisse dixisses, omnesque intellexerunt si idem ardor, consensusque animorum exti isset, cum primum Galli ad Etruriam accesserunt, illa minime fuisse potituros. Cognitum tandem post paucas horas fuit inanem fuisse timorem, excitatum ab iis, quibus tranquillitas et securitas pu-

blica odio erat. Nullus enim fere locus extitit, qui non tulerit homines rerum novarum studio incensos adeo, ut nihil pensi haberent, dum se ipsos malo publico fortunarent. Sed brevi eos fortuna et spes deseruit. Nam qui sibi fuga minime consuluerunt, vigilantiam Aretinorum minime vitarunt, qui per urbes et oppida discurrentes, omnibus bonis approbantibus, in custodiam eos dederunt, qui impurissimis Gallorum cupiditatibus suffragati fuerant, e quibus quod nonnulli extitere, qui contra patriam arma ceperunt, omni supplicio illos dignissimos judicarunt. Iidem quoque extare in crudelissimos hostes monumenta odii publici sempiterna voluerunt, ubique positis inscriptionibus, quae testarentur, quot malis per eos, Deo hujusque Matre bene juvantibus, liberati fuerimus: quod quis reprehenderit, nisi qui, deposito metu, praeteriti periculi fuerit oblitus? Neque minus Senatus Florentinus, qui post discessum ab Etruria Gallorum rerum publicarum administrationem suscepit, securitati nostrae prospexit, cum ad reipublicae summam, tum ad fidem et dignitatem suam

pertinere existimans eos persequi, quorum in Gallos enituerat studium. Sceleris quidem poenam praetermittere, etiamsi in ceteris rebus tolerabile sit, in tanta rerum perturbatione, atque in his tantis periculis perniciosum duci debet, non tam ulciscendi caussa homines, apud quos non ratio, non modus, non lex, non mos, non officium, non religio unquam valuit, non judicium, non existimatio bonorum, non posteritatis verecundia, quam ut in praesens scelerati cives ab exagitanda patria deterreantur, et in posterum documentum statuatur, ne quis talem ac tantam amentiam velit imitari. Nam qui populo duces sunt ad resistendum improborum consiliis, non satis habebunt praesentia mala prohibere, futura quoque, ne se insinuent, explorabunt. Tu quidem, amicorum suavissime, illustre dedisti in Principem et in patriam fidelitatis exemplum, cum omnes fateantur factum contentionibus sollicitudinibusque tuis, ut servaretur ille omnis praeclarae artis thesaurus, pinacotheca scilicet Florentina, cui meritissimo praees, ab rapacibus Gallorum manibus, eo tempore,

quo ipsi fana et Principis domos omni pretiosa supellectile spoliabant. Quam ob caussam me non tam gratulari virtuti tuae debere putavi, quam consolari dolorem recordatione earum rerum, quae acciderunt quam quod his litteris complexus sim, quibus vitam tibi inscribo hominis, quo nullus unquam extitit magis inimico in Gallos animo, quique praesagiebat malorum iliadem, in quam incidimus, nisi opportune et fortiter per Principes provisum fuisset, me non inepte fecisse arbitraberis. Vale.

Florentiae Kal. Sext. MDCCXCVIIII.

CLEMENS SIBILIATUS

Profecto si bona sua novisset Clemens Sibiliatus, & gloriam desiderasset, magnorum illius laborum, multarumque vigiliarum, quas in studia praesertim humaniorum litterarum impendit, fructus maximos obtinuissemus. Vel in puero mirifica apparuit indoles ingenii atque virtutis: quare parentes illius (fuere hi Jo. Baptista Sibiliatus & Diana Alphonsia, qui ipsum Bovolentae non ignobili oppido Patavinae provinciae susceperunt IV. id. Februarii an. MDCCXIX.) nil magis curarunt, quam ut locus illi daretur in Seminario Patavino, quod prae ceteris florebat bene vivendi ac bene dicendi prae-

ceptoribus. Cum totam suam mentem, curam, cogitationem ad excellentem omnibus in rebus cupiditatem incitaret, non cum industrioribus solum condiscipulis, sed secum jam ipse certare videbatur. Quae ingenii docilitas! quae morum suavitas! qui virtutis amor! Nihil sane honorificentius illi accidere potuit, quam, ut cum explevisset nondum vigesimum tertium aetatis annum, ab eo, qui Patavinis sacris praeerat, destinaretur ad tradendas in ipso Seminario humaniores litteras. Graece tum luculenter sciebat, ad elegantiam Latinorum verborum adjungebat oratoria ornamenta, Latina & Italica poesi valebat, & si quid, quod in interioribus, & reconditioribus litteris versaretur, scrutandum erat, tantum adhibebat acumen, ut prae omnibus ad occultissima perspicienda factus esse videretur. Expertus id est vir omnium politissimus Franciscus Algarottus, qui cum ab illo quaesiisset, quare Virgilius postquam Decios, Marios, Camillos & Scipiadas summis celebrasset laudibus, nil aliud in Augusto laudastet, nisi quod Romanis arcibus avertisset im-

imbellem Indum, & quare rusticam vitam commendans, nec Serrani, nec Cicinnati mentionem fecisset, ea a Sibiliato se audivisse testatus est, quae frustra ab aliis quaesivisset. Amabat praesertim Clemens Virgilium, dumque eligebat ea, quae notatione & laude digna sunt, proponebatque discipulis suis, omnes poeticas virtutes in illo reperiri affirmabat. Non sane Latinorum scriptorum ac praesertim poetarum sapientiorem cognitorem invenisses, cui instar insania esse videbatur a via, quam ipsi tritam reliquerunt, novitatis amore discedere. Cum Hieronymum Ferrium argumentum scribendi egregium habere videret, quod suscepisset confutandum Alembertium, aliosque Gallicos scriptores, stultitiae eos condemnantes, qui Latinorum elegantiam imitari atque exprimere se posse sperabant, saepe mecum questus est, quod is non plane sui, doctorumque expectationi satisfecisset, quare cum plus otii nactus fuisset, se effecturum profecto, ut quod illi deerat, expleret. Ex Italicis vero Poetis Petrarcham prae-

sertim suspiciebat (1), de cujus vita et scriptis Latinum commentarium edere meditabatur, quod ab eo praetermissum nos praestare adlaboravimus. Coluit quoque adolescens ludicram poesim, quam lepos, facetiae et eruditio libero digna condirent, minime vero licentia ludendi turparet. Prorsus nil tentabat, sive numeris adstricta, sive soluta, sive Latina, sive Italica oratione uteretur, quod ei non prospere succederet, raro tamen, et nisi invito, prodibat in publicum, quod in omnibus rebus difficilem esse ajebat optimi perfectionem atque absolutionem, quam in multis desiderabat, atque a se ipso exigebat. Additum cum muneri fuisset tradendi humaniores litteras onus exponendi Ecclesiasticam historiam, nec non curandae Bibliothecae, in his Sibiliatus occupabatur adeo, vix ut exiguam temporis

(1) *Ejus studiis factum est, ut aedes male materiatae et ruinosae, quas incoluerat in collibus Eugeneis Lyricorum Italororum Princeps, sumptibus viri amplissimi Juliani restaurarentur.*

partem scriptioni suppeditare potuisset. Nihilo tamen minus multa et varia inchoavit, quae si postea, cum otium nactus fuit, perfecisset, ejus nomen magna apud omnes fuisset gloria. Haud recusare potuit onus laudandi summum Pontificem Benedictum XIV. cum ei parentalia in Aede principe Patavina haberentur, quamque dixit Latina oratio, ut probaret non solum imperio parem illum fuisse, cum privatus esset, sed etiam imperio dignum judicatum, postquam imperasset, ob miram conjunctionem doctrinae cum omnibus iis virtutibus, quae decent Ecclesiae rectorem, scripta est elegantissime et sententiis et verbis. Noverant ii, qui Lyceo Patavino praeerant, non facile quemquam reperiri, qui industria et ingenio praestaret Sibiliato, quare cum veniam Jo. Antonio Vulpio concessissent deserendae cathedrae humaniorum litterarum, quam tanta cum nominis sui gloria per totos XXIV. annos sustinuerat, hujus in locum ipsum vocarunt. Timide, vel potius verecunde ingressus est munus, quo homines doctrina clarissimi gloriosissime perfuncti fuerant, quibus com-

memorandis illud assequebatur, ut non irruisse in alienum locum, sed in suam, ut ita dicam, immigrasse judicaretur. Memoriter e superiori loco dicebat, res illustrabat disserendo, et animos eorum, qui audiebant, mira devinciebat voluptate, quod reconditas exquisitasque sententias splendida vestiebat oratio, quodque argumenta ab eo multa et firma excogitabantur ad probandum. Erat enim philosophia institutus optime, tum etiam perfecte planeque eruditus; praetereaque ingenio acri adeo, statim ut videret, quod esset probatissimum. Ceteros inter, qui Sibiliato multum tribuebant, erat Marcus Foscarenus, cui probitate, constantia, cura, studio Reipublicae, cui praefuit, quidquam fuisse simile cave putes, ut eloquentia, qua mirabiliter excelluit, vix in eo locum ad laudandum habere videretur. Atque hic tantus vir mortem cum obiisset anno MDCCLXIII. uxor illius moestissima pro jure veteris amicitiae exigere se posse a Clemente putavit, ut ipsius laudes celebraret. Ex immenso campo ejusdem eloquentiam extollendam suscepit, ad

quam formandam naturam, artem, fortunam mutuis viribus conspirasse, atque ex ea maxima Venetorum Reipublicae & litteris (1) commoda derivasse probavit. Profecto se artis, quam laudavit, peritissimum ostendit, quanquam non eloquentiae luminibus isthaec oratio, quam *de eloquentia Marci Foscareni Venetorum Ducis* inscripsit, quamque edidit an. MDCCLXV., ornetur. Si ex tempore dicentem Sibiliatum audivisses, prorsus ad eloquentiam factum fictumque ipsum fuisse dixisses, si quid vero accurate commentabatur, quanquam facile inveniret quod rei probandae esset accommodatissimum, nec sententiis solum copiose, sed verbis etiam ornate uteretur, impetum tamen illum ardoremque reprimere videbatur, qui

(1) *Multa is reliquit, quae comprobant tam bene illum meritum fuisse de litteris, quam alium quemquam. Cum emisisset autem in vulgus opus de Litteratura Veneta, omnes de illo ita judicarunt, ea eruditione refertum esse, ut dum alienam litteraturam memorat, testetur suam, eo stilo concinnatum, qui ubique certat cum rerum gravitate, et dignitate scriptoris.*

efficit, ut oratione, quasi torrente rapiantur auditorum animi. Neque est praetereundum in verbis Latinis eligendis ipsum minime probasse illorum sententiam, qui tanquam scopulos effugiunt verba et dicendi modos, quorum exempla non extent in aureae aetatis scriptoribus. Fortasse non erraverim, si affirmavero politiorem elegantiam in illius Latinis carminibus apparere, quod facile Poetae liberiorem licentiam verborum concedamus. De poetico autem ejus ingenio plura argumenta afferre possumus, sed hoc uno erimus contenti. Mantuam cum advenisset, quando ipso die natali Mariae Theresiae Augustae vota suscipiebantur pro illius incolumitate, brevi plura centena versuum Italicorum fudit, quibus mirum in modum laudes illius Heroinae, ejusque liberorum celebravit, ubique spargens praecepta moralis philosophiae, quibus populorum felicitas continetur. Non facile vero invenisses qui de poesi, deque poetis rectius judicasset, nec qui grandiora de hujus utilitate in eo, quod pertinet tum ad societatem humani generis, tum ad politicen

praedicasset. Dissertatio, qua utramque rem, invitante Regia Academia Mantuana, probavit, praemio digna ab ipsa Academia habita fuit, ut pote quae ceteras, quae rem ipsam tractabant, argumentorum, exemplorum et sententiarum copia, nec non elegantia dictionis superabat (1). In omni arte, cujus usus communis vulgarisque sit, caussas quaerebat, quare altera prae altera efferri deberet, et cum minime videbatur, tum maxime philosophabatur. De toto autem genere philosophiae, sine qua vel ea in quibus liberam quamdam animi oblectationem quaerimus, manca quodammodo et imperfecta essent, separatim disseruit, cum primum ad Academiam venit Patavinam, quae

(1) *De hac vir doctissimus judicavit* essere di uno stile ragionato, elegante, tessuto di prove, d'erudizione, di pensieri da capo a fondo, cosicchè alla novità, ed alla gravità del programma và del pari la fecondità e squisitezza dell'oratorio e filosofico ingegno dello scrittore di già rinomato per altre sue produzioni.

amplissimo Senatus Veneti decreto XV Kal. Apriles an. MDCCLXXVII. instituta fuit ad omnes liberales disciplinas provehendas. Sed quia immoderate multi et ingrate abutuntur ipsa philosophia, certos illi fines et terminos constituit, extra quos egredi non possit sine detrimento humaniorum litterarum, quarum ea est natura et indoles, ut sua quaedam propria habeant fundamenta sive finem, ad quem dirigi debent, sive instrumentis, quibus utuntur, spectes. Omnium fortasse primus rem ab aliis non bene tentatam omni ex parte explicavit et expedivit (1). Dum vero judicabis huic disserta-

(1) *De ea Allembertius, Guenardus, Marianus, aliique plures disseruerant. Merianus ingenue fassus est palmam sibi Sibiliatum eripuisse, atque hic cum ad me scriberet confidenter ait*: l'assunto è nuovo e l'ho trattato nuovamente, ed avò piacere che si confronti la mia dissertazione con le Francesi, che nulla o poco dicono, si contraddicono, e lasciano indecisa la mente de' leggitori. Quando la recitai si disse ch'era una vera mu ica Tartiniana. Io son li-

tioni nihil abesse de maximarum rerum scientia, deque scriptionis elegantia, facile ignosces auctori, quod ea praesertim gloriaretur, confidenter ac vere asseverans magnum se attulisse beneficium Italis suis quod docuisset eos cavere a Gallorum fallaciis, qui ad omnia abutuntur philosophiae licentia, usque eo, ut ejusdem se pallio obtegere sperent impiissima scelera, quae ad populorum felicitatem, sanctioraque jura atque instituta evertenda, excogitarunt. Qui de gloria atque dignitate Academiae Patavinae laborabant, vehementer postulabant et expecta-

---

gio alla Crusca, e a riserva di due o tre vocaboli necessariamente adoperati, tutto il resto potrebbe essere testo di lingua. Odio coloro, che sono libertini, e non riconoscono altro codice che il loro capriccio nel formar vocaboli, e sopra tutto nell' adottare il tornio disarmonichissimo delle lingue straniere, che a nulla si affà a quello della Toscana, che paveggia in guardinfante collo strascico, e non nella spremitura del gretto imbusto.

bant semper magnum aliquid ab eo. Noverant enim omnes vel ea, quae quaesita et investigata ab aliis fuerant, ipso tractante, nova et inopinata apparere. Et sane quid copiosius, quid eruditius fieri potuit quinque iis dissertationibus, quibus et praeceptis et exemplis laudavit extemporalem eloquentiam, quam facultatem in se auxerat adeo, ut vel nullo, vel exiguo ad se se colligendum sumpto spatio, ea funderet subito, quae meditata et praeparata videri poterant? Non secus autem ac si quae in medium attulerat, fuissent mediocria pro rei utilitate (saepe enim accidit in bene constituta Republica, ut quae in Senatu agenda proponuntur, imparatum oratorem requirant) novum opus hoc ipso de argumento contexere meditabatur, quo Venetos suos rationem doceret commoditatem habitumque sibi parandi fundendae ex tempore orationis. De eloquentiae autem arte ita judicabat, non statum esse, sed aut ascensum, aut inclinationem, eosque, qui ad summa continenti studio non nituntur, non quidem consistere, sed retro labi;

Non aliter, quam qui adverso vix flumine lembum
Remigiis subigit, si brachia forte remisit,
Atque illum in praeceps prono rapit alveus amne.

Virg. Georg. l. I. v. 201.

Dum se habere multa affirmabat, quae Academiae suae concederet, quaeque a se posse perfici minime desperabat, ne inanis et ambitiosa promissio esse videretur, detulit ad eam Dissertationem de loco quodam Catulli, qui doctum conjectorem desiderabat, censorem etiam eorum, quae in illum Jo. Antonius Vulpius, cetera summus interpres, commentatus fuerat. Nihil omnino dixit, cui a corona, et vel ab iis, inter quos erat honesta certatio, plausum non fuerit; ad conciliandam vero fidem dictis illius non parum proderat, quod inter omnes jam constabat a malevolentia et obtrectatione plurimum ipsum abesse, et nulla praepeditum cupiditate integrum ac liberum animum ad judicandum afferre. Tum ad scribendi dicendique licentiam liberior, quam

quod tanquam pabulum haberet studium atque doctrinam, & considerationem earum rerum, quae spem alunt, ut tandem aliquando beati aevo sempiterno cum caelestibus perfruamur, magnum rebus adversis (quis enim illo magis indoluit calamitatibus, quae Italiae imminebant?) perfugium atque solatium praebebant. Viguit & in eo sensus amoris, tum in suos, tum in eos, quorum mores a suis castis integerrimis, ac prorsus religiosis minime abhorrebant, quod que me horum in numero putaverit, sane immortali prosequar memoria. Vel a condiscipulatu vixerat conjunctissime cum Josepho Torellio Veronensi, homine multis litteris, ac praesertim mathematicis eruditissimo, cujus, quae reliquerat, scripta ad mira prorsus Archimedis inventa illustranda, cum Oxonii essent edenda, his vitam a se Latine elegantissime exaratam praemisit, quae testis esset suae in illum benevolentiae, suique judicii non solum de doctrina, sed etiam de ipsius probitate integritateque, cujus tanta vis erat, ut omnes ad illum amandum cogeret. Hoc in loco quod mo-

nimentum quoque esse voluerit nostrae conjunctionis, & opinionis, quam de litterulis, nugisque meis habebat, maximo me ab illo ornatum beneficio atque honore fuisse statuo. Dum vero ab ipso invitabar, ut pergerem porro historiae mandare laudes, quas Italiae homines in omni praeclara arte instructissimi pepererant, quodammodo ei irascebar, quod in scriniis suis latere sineret tot vigiliarum fructus, qui ad laudes illas augendas mirum in modum conducere potuissent. Quare aliquando his verbis ad ipsum scripsi: *cum Patavium redibo, me non solum, ut antea, importunum exactorem, sed etiam furem experiere. Alliges me licet ad rupem, me nunquam poenitebit fuisse Prometheum, qui, ut ille de caelo ignem, sic tibi ardentia et victura in omne tempus scripta abstulerim*. Ad quae rescripsit, se non contemnere gloriam, sed magis etiam vereri reprehensiones hominum, ac probasse semper, quae Socrates apud Platonem in Phaedro docuit de non vulgandis scriptis, et hac de sententia se dissertationem exarasse tum ad se excusandum, tum ad illos

reprehendendos, qui in tractanda poesi, ceterisque disciplinis, quae ad oblectandos instruendosque animos sunt inventae, non satis vident quid sit omni ex parte perfectum (1) quod qui se assequi posse despe-

---

(1) *In eamdem fere sententiam haec ad Bettinellium scripsit*. Mi sembra, che quando prendo in mano la penna riattepidisca l' immaginazione, e se ne minori in me la presunta forza, e dall' idea del bello, del grande, del vero concepita e vagheggiata ne sfugga a mille leghe lontana l' esecuzione. Questo è che produce la mia repugnanza a stampare, e che i dolori del parto m' accompagnano tutta la vita, rendendomi scontento e mortificato su tutto quel poco, che ne sciorinai a malincuore. Fra le altre ossature, che forse un giorno dovrò rivestire di carni e pelle, ne ho una a me la meno discara su questo argomento, volendo spiegare un passo di Platone, ove Socrate si difende dal non aver voluto giammai scrivere, ma lo fa con una o due ragioni, alle quali io ne avrò un buon dato da aggiungere, spezialmente in ciò che appartiene agli studj di umane lettere, concedendo che nelle scienze esatte sia ciò per-

rant, eos a publica refugere luce adhortabatur. Vir exquisitissimi judicii non tam in poeta et oratore, quam in pictore, sculptore, et musico illam praeclaram et eximiam speciem, quam pulchritudinem dicimus, adamabat, atque eos, qui hac praestabant, carminibus suis celebrabat ( ). Paucis dicam, neminem sane novi qui magis illo factus fuerit ad eas artes vel colendas, vel provehendas, quibus maxime oblectantur

---

messo, quando abbiaci cosa nuova e rillevante . . . . Io però non riprendo, anzi lodo chi manda in luce i suoi componimenti, perchè mi compiaccio infinitamente della lettura divenuta l'unico mio bene terreno.

(1) *Extant ejus latina carmina de Vallotta musicorum celeberrimo, de Canova, qui Graecorum sculptorum gloriam aemulatur, deque mira Graecorum ipsorum arte in scalpendis vel gemmis, vel lapidibus. Sane is optime de Latina poesi mereretur, qui sparsa Sibiliati carmina colligeret, atque in vulgus ederet: sunt enim tenera, morata, atque mollia.*

tur homines, quaeque habent quoddam commune vinculum, et quasi cognatione quadam inter se continentur. Atque hic tantus vir postquam paralysi per aliquot menses tentatus fuit, vitae cursum sancte explevit XVI. Kal. Martii an. MDCCXCV. sepulcrumque habuit apud Religiosos homines, quos Oratorianos dicimus, atque in sepulcro haec posita inscriptio.

CLEMENTI SIBILIATO
PRESBYTERO PATAVINO
HUMANIORUM LITTERARUM
IN PATAV. GYMNASIO DOCTORI
SCRIPTIS EDITIS CLARISS.
VIXIT ANNOS LXXVI. DECESSIT
XVI. KAL. MAR. AN. MDCCXCV.
JO. BAPT. FRATRIS FILIUS
PATRUO BE. ME. P.

INDEX VITARUM

Quae hoc Volumine XVIII. continentur.

ORATIO

AD S. R. E. CARDINALES CUM SUBROGANDI PONTIFICIS CAUSSA CONCLAVE VENETIIS INGRESSURI ESSENT. (*)

Si fuit unquam tempus ullum, quo Divini Spiritus dona prece et obsecratione humili ac supplici invocare deceat, istud profecto est, PP. Amplissimi, quo ad novum creandum Pontificem convenistis. Tot enim jactata fluctibus, tot oppressa tempestatibus Ecclesiae navis fuit, ut egeat sapientissimo Gubernatore, qui eam caelesti, sicuti confidimus, afflante aura, in portum deducat, qui consulat omnibus, qui medeatur incommodis hominum, provideat saluti, et omnium parens dici et haberi velit. Non possumus sine horrore animi impiorum hominum conatus recordari, qui postquam Summum Pontificem, vosque labo-

(*) *Minime habita haec oratio a me fuit, ea vero mente scripta, ut sensus meos de Christiana Republica, dum suo viduata erat Rectore, exponerem.*

rum consiliorumque illius socios atque participes rebus omnibus honestissimis spoliatos alienas terras quaerere coegerunt, nihil non tentarunt, ut ipsa Ecclesia diro schismate turbaretur. Sed Deus optimus maximus, qui ei se nunquam defuturum spopondit, in diebus tribulationis exaudivit deprecationes nostras, cumque intonuisset de caelo, et dedisset vocem suam, oculos superborum sic humiliavit, ut medio in spatio omnia illorum nefaria consilia corruerent et frangerentur, et non sine perpetua illorum infamia poenam temeritatis persolverent. Sperabamus quidem, multis obtentis victoriis paucorum mensium spatio ab iis, qui pro Italiae et Religionis incolumitate fortiter pugnarunt, fore ut suae sedi Pontifex ovans redderetur, et gloriosum illi reditum Gallorum injuria daret: sed ille rerum omnium moderator sapientissimus Deus, qui quos amat corrigit et castigat, incredibili animi fortitudine crudelia perpessum non ad terrenum, sed ad caelestem triumphum reservavit, et in hoc ipso de suis inimicis is triumphasse videtur, quod ii quidem imperium, bona, commoda vitae, libertatem ubi vellet manendi, minime vero divinam animi constantiam, ac desiderium expiandi, si quid humani in prospera fortuna commisisset, eripere petuerunt. Sane non dubito, quin qui

talia patrarunt, quae sunt impiorum furiae, flammae ac faces, eos respirare vetent, et quin posteritas eorum scelera ac facinora in omne tempus detestetur. Hominis tot virtutum praesidio, tantoque comitatu septi, cujus cum corpus caperetur, capi certe animus non potuit, mortem (*) deflere non debemus, vicis potius vestra dolenda est, Amplissimi PP., quibus cura commissa est vulnera sanandi inflicta Christianae Reipublicae, ac talem eligendi Pontificem, qui prudentia, innocentia, sanctitateque morum onus vel Angelis ipsis formidandum gloriose sustineat.

Cogitanti mihi ac memoria vetera repetenti perbeati illi videri solent Christiani, qui a Divino Magistro, ejusque Discipulis educti vitam sic transierunt, ut injurias atque aerumnas patienter non modo toleraverint, sed etiam ultro appetiverint, ut ei, a quo instituti fuerant, similes essent. Frustra illos mortis et exilii minis terruisses, id curantes unum, ut eo statu essent, quem neque fortunae temeritas, neque inimicorum labefactaret injuria. Abundabant ii domesticis exemplis, quique ipsis praeerant Episcopi et Pon-

(*) *Obiit hanc Valentiae nocte, quae praeibat diem IV. ante Kal. Septembris, quam mortem alvi profluvium attulisse videtur.*

tifices maximi, his praeter officium fortis et constantis viri, et divinis institutionibus obedientissimi, nihil aliud propositum fuisse videtur. Ex quo factum, ut per plura saecula Romana praesertim Ecclesia tot numeraverit Sanctos, quot habuit Rectores, neque hi sane marmoreis tectis, ebore et auro fulgentibus, nec signis, nec tabulis, nec gemmis, nec caelato auro et argento gloriabantur, sed paupertate, sed simplicitate, sed studio in rem Catholicam, cui sic serviebant, ut supplicia et mortem mallent, quam ei vel minima in re deesse. Prorsus ignorabant illas cupiditates honoris, imperii, provinciarum, quae tot homines transversos egerunt, qui cum sibi amplissimi esse viderentur, minime ambitionis atque superbiae suspicionem vitarunt. Laudetur itaque ille Summus Pontifex, et hoc honore ille dignus putetur, qui frenare didicerit ambitiosos spiritus, spernere voluptates, iracundiam tenere, coercere avaritiam, ac ceteras animi labes repellere; qui nihil faciat, nihil dicat, nihil cogitet denique, nisi quod decorum, rectum et sanctum est, cujusque omnia consilia, resque omnes, quas gerit, a Deo proficiscantur, et ad ipsum referantur. Haec tenens sane gloriari poterit, nihil se habere, nec sui, nec cujusquam, quod auferri, quod eripi, quod amitti possit, et si Deus

siverit, ut a nefariis praedonibus a sua abstrahatur sede, non propterea cum eo exulasse Christiana Respublica judicabitur, dum vigeat illa mens, unde oriri debent curae, vigiliae, consilia, quibus nullo non calamitosissimo tempore ipsa stare Respublica potuit. Caedes illi quidem facere, tectis ac templis sceleratas faces inferre, luctu et squalore omnia implere poterunt, sed quo majus in discrimen adducta Ecclesia videbitur, eo gloriosior surget, nemini ut dubium esse possit, quin ipsa, tanquam aurum igne, aerumnis purgetur, et quin adsit praesens et propitium Numen, cujus nutu desideria et consilia peccatorum pereunt. Obsurdescimus tamen nescio quomodo, nec ea, quae ab illo admonemur, satis audimus, quod maxime contigit iis, qui praeposteris utentes consiliis, in rebus humanis ponunt spes suas, quique obscurari dignitates putant, nisi splendeant tota illa rerum externarum pompa, qua capiuntur multitudinis oculi. Corrupti depravatique sunt mores admiratione potentiae et divitiarum, et veram et sapientem amplitudinem in factis atque in virtutibus, non in gloria et magnificentia positam existimabimus. Romae cum contemplarer quae Pius ad urbis ornamentum, liberalium artium incrementum, suorumque commodum regio plane sumptu comparavit et fecit, admirarer

etiam splendorem, qui sive domi se contineret, sive per urbem incederet, sive divinae rei operaretur, ubique illum comitabatur, magna haec esse et Romano Pontifice digna judicabam; eumdem vero cum vidissem in suburbano Florentino Cartusianorum Coenobio tantum habere spatii ad habitandum, quantum vix satis esset Coenobitarum praefecto, pecuniam illi deesse non solum ad liberales, verum etiam ad necessarios sumptus, nihil splendidum, nihil ornatum circa illum apparere, nec libertate quidem gaudere admittendi quos vellet, et quo libuisset deambulandi, et in hoc infelicissimo statu nullam conditionem recusare durissimae servitutis, et istam paupertatem, vel potins egestatem ac mendicitatem aequissimo animo ferre, ac putare jactam et immissam a Gallis nefariam in se injuriam ad se se minime pervenisse, quod sibi spes omnis, et ratio et cogitatio penderet ex voluntate Dei, tanquam de caelo divinum hominem in terram delapsum intuebar, et ob id ipsum Christi Vicarii dignitas magis magisque splendescere mihi videbatur, quo magis illius inimici eam occultare, et, si fieri potuisset, e conspectu hominum tollere adlaborabant. Quorsum haec Amplissimi Patres? Ut intelligatur magnopere interesse Ecclesiae Dei talem habere Rectorem, qui humana omnia

infra se ponens, nec frangatur rebus adversis, nec prosperis extollatur. Quamquam quid prosperi sperare possumus in hac rerum omnium non modo conversione, sed etiam eversione? Referta est Italia hominibus impurissimis, qui statim ac Galli ad eam accesserunt, eorum sceleri ac lubidini omnia rapiendi atque perdendi se se obtulerunt; his ardentibus perturbandae Reipublicae cupiditate quod opponi possit praesidium non habemus : silent enim leges, aut quod in animadversione poenaque durius ac severius videtur, minime probatur; tanta est morum corruptela, neminem ut pudeat ea palam facere et dicere, quae vel latere in tenebris majores nostri nefas duxissent; longe lateque ac libere vagantur libri, qui ad miserrimam pestem religioni, moribus, ac Regibus ipsis importandam sunt destinati; e medio sublatae eae potestates, quibus cura commissa erat conservandae Catholicae Religionis adversus eos, qui illam aliqua ex parte labefactare conarentur; imminuta adeo Episcoporum auctoritas, ut ii, quibus praeceptum est verbum praedicare, instare opportune, importune, arguere, obsecrare, increpare in omni patientia et doctrina, quidquid agunt, et loquuntur subjicere cogantur judicio hominum, qui ne a limine quidem divinas litteras, et ecclesiastica jura

salutarunt ; tota denique antiqua Ecclesiastica disciplina , sanctioresque institutiones obsolevisse adeo videntur, vix ut earum imaginem in veterum scriptis agnoscamus . Nihil dico de deformata in omni genere civitate illa , quae per Pontifices suos aucta, ornataque , et omni rerum copia ad Christianam Rempublicam bene administrandam instructa, aeternitatem quodammodo sibi polliceri posse videbatur , de Pontificiae majestatis patrimonio amisso , de dissipatis Ecclesiae bonis, de dignitate vestri Collegii diminuta, nam haec, et alia hujusmodi plura, quamvis miserrima, quod referri possunt ad terrenum regnum , non tanti facienda sunt , quanti illa , quae ad supera et caelestia pertinent, quae cogitantes nostra haec ut exigua et minima contemnimus. Sunt tamen haec adeo inter se conjuncta, ut imperium , quod religione minime fultum sit , stare diutius non possit , et certe peribunt omnia, nisi civitatum rectores provideant, ut sacris et caerimoniis suus reddatur honos, et sarta , tecta et integra sint, quae divinitus sunt instituta non solum ad beatam vitam , sed etiam ad tranquillitatem publicam et securitatem obtinendam. Harum rerum omnium tutela quod fidei , et virtuti commissa , et commendata praesertim est illius , quem Christus Dominus Vicarii sui gra-

vissimam personam gerere voluit, boni omnes vota suscipiunt, ut solemini moestam Ecclesiam obitu tanti Gubernatoris, qui gloriam martyrum aequasse videtur, crudelia adeo illius caussa perpessus est, utque ex Collegio vestro nobilissimo talem deligatis successorem, qui voluntate, prudentia, usu rerum, auctoritate consulat rebus afflictis, medeaturque malis, quique exemplum sit innocentiae, temperantiae, modestiae, charitatis, ac veteris sanctitatis. Nunquam convenistis ad novum creandum Pontificem, quin omnium oculi in vos conjecti fuerint, hoc autem tempore, quo dilaceratam, distractam, divulsam Ecclesiam dolemus, nemo non scrutabitur interiores et reconditiores vestros sensus, et si quod erit in ferendis suffragiis animadversum peccatum, severissime culpabitur, posterisque prodetur. Vestra itaque interest, interest Christianae Reipublicae, ut unusquísque studio et suffragio suo, omni posthabita ratione amicitiae, conjunctionis, gratiae, privataeque utilitatis, Dei gloriam, publicumque bonum unice spectet, nullius ambitioni suffragetur, et summo honore dignum illum putet, qui cum probe calleat quanti negotii, quantaeque sollicitudinis sit Catholicae Ecclesiae clavum tenere, nil tam veretur, quam ne supra ceteros invite extollatur. *Non enim*, ut S. Ful-

„ gentii verbis utar (*), *Salvator noster bea-*
„ tos voluit nuncupari habentes Ecclesiasticam
„ Dignitatem, sed pauperes spiritu, mites, lu-
„ gentes, esurientes, sitientesque justitiam, mi-
„ sericordes, mundos corde, pacificos, et qui
„ persecutionem propter justitiam pati sunt pa-
„ rati: atque hi quidem fide divites, scientes-
„ que quia praeterit figura hujus mundi, mor-
„ tui peccato, viventes autem Deo, non in di-
„ gnitate temporali, sed in Cruce Domini nos-
„ tri Jesu Christi cum Apostolo gloriabuntur.
Rogate itaque enixe caelestem Spiritum, ut una sit mens, unum propositum, una vox omnium vestrum; rogate pro Romanorum Imperatore, cujus cum in auctoritate, fide, ac religione, tum in exercitus ejus viribus maxima spes esse debet amissa recuperandi, ac prorsus liberandi Italiam a crudeli Gallorum tyrannide; rogate etiam pro Rege Catholico, qui suis, vel potius suorum facultatibus inopiam exulantis Pontificis sublevavit; neque ex memoria vestra excidat pietas Ferdinandi III. Magni Etruriae Ducis, quo nullus unquam extitit religiosior Princeps, qui in ditione sua ipsius Pontificis fortunae miserae ac jactatae portum ac perfugium paravit, et quae in tanta hominum perfidia et temporum ini-

(*) *Lib. II. de Praed. et Gr.*

quitate adjumenta, et solatia afferri potuerunt, liberaliter praebuit. Deus Optimus Maximus vota, et preces vestras benigne audiat, faxitque, ut sic *honorificetis ministerium vestrum, ut per vos veniat ex Sion, qui eripiat, et avertat impietatem a Jacob* (*).

(*) *Isa.* 59. *Paul. Epist. ad Rom.* c. 11.

INDEX VITARUM

Quae continentur totis XVIII. Voluminibus.

INDEX RERUM PRAECIPUARUM

QUAE IN HOC VOLUMINE CONTINENTUR

D

E

F

G

H

I

L

M

N

O

P

ERRATA	CORRIGE
Pag. 11 l. 8. sicentia	scientia
18 11. ortographiam	orthographiam
21. 13 ultro	amplius
25. 23 Ecclesiasrum	Ecclesiarum
29. 7.13. Comminatoriam	Commonitoriam
33. 22. derivaverit	derivatum fuerit
— 13. judicundius	jucundius

ERRATA	CORRIGE
42. 4. despicentia	despicientia *et sic* pag. 53. lin. 12.
64. 3. Chios	Chii
71. l. ult aeris	aeribus
72. 24. Franciscus Maria	Franciscus Ant. *et sic* p. 89. lin. 3
77. 5. venerit	venisset
88. 1. quae	quae statuerat
90. 3. habitura	habiturum
94. 21. Hortanis	Hortanorum
110. 16. penuria	in penuria
115. 5. probabilis	probabilismi
129. 8. poterit	possit
148. 12, gravisi	gavisi
156. 10. frigioribus	frigoribus
— 11. ratardatum	retardatum
161. 21. Logomarsinium	Lagomarsinium
— 13. Traseomaci	Thraseomachis
169. l. ult. Meropis	Meropes
194. 15. Illas tamen propter susceptum onus deponere	Illud tamen deponere
200. 15. effervescentis	defervescentis
216. 17. amoenitae	amoenitate
247. 14. nisi	saepe
251. 24. praesdia	praesidia
264. 2. praestitisse	id praestitisse
271. 10. Callirrhois	Caliirrhoes
— l. ult. magister	*deme hanc vocem*
273. 8. quuam	quam
293. 18 capti obsides fuere	pro praemio injuriam tulere
297 l. ult. coentibusque	coeuntibusque
309. l. 4. derivasse	derivata fuisse



